





LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN


Viro clarissimo
K. H. Rau
celebr. in Acad.
Heidelb. Oeconom.
Polit. Professori
etc.

Praeceptori discipuli
[illegible]

C. A. [illegible]

.CO-POLITICA
S,

RES NOVAE CON-
MPLIUS NON



Pr

U

DISSERTATIO OECONOMICO-POLITICA
INAUGURALIS,

DE QUAESTIONE:

AN FIERI POSSIT, UT TOT RES NOVAE CONFICIANTUR UT VENDI AMPLIUS NON POSSINT.

TYPIS A. ZWEESAARDT.

DISSERTATIO OECONOMICO-POLITICA INAUGURALIS,



DE QUAESTIONE:

AN FIERI POSSIT, UT TOT RES NOVAE CONFICIANTUR UT VENDI AMPLIUS NON POSSINT;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JACOBI CORNELII BROERS,

MED. CHIRURG. ET ART. OBSTET. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

DAVID ABRAHAM PORTIELJE,

AMSTELAEDAMENSIS,

AD DIEM XVIII DECEMBRIS MDCCCXXXIV, HORA XI—XII.

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELAEDAMI,

EX OFFICINA D. GROEBE.

MDCCCXXXIV.

PARENTIBUS OPTIMIS

NEC NON

VIRO NOBILISSIMO

JANO VAN EEGHEN,

URBIS AMSTELAEDAMENSIS SENATORI CAET:

SACRUM.

Qui studiosorum ordini valedicturi sunt, pauca specimini suo solent praemittere academico, ut duplici ita vulgo fungantur munere, nempe, ut de dissertatione ipsâ ejusque argumento dicant, et ut simul iis gratum profiteantur animum, qui de se suisque studiis bene fuerint meriti.

Argumentum certe, quod tractandum suscepi, uti satis elegans et ipsâ varietate quam maxime jucundum, ita copiosum etiam est et multiplex, ut plenior ejus pertractatio satis amplo volumini locum esset datura. Illud adumbrare conatus sum pro viribus, quas sentio, quam sint exiguae.

Quod autem hoc ipsum argumentum pertractandum mihi elegerim, variis tribuendum est rationibus. In urbe hac mercatoriâ literarum et juris disciplinis operam navans eo consilio etiam, ut forte aliquando in mercaturae negotiis praecipuum reperirem vitae munus, certe eas maximi feci semper, quae cum mercaturâ cohaerent, literarum et juris disciplinae partes. Sic placuit praesertim oeconomia politica, et me animadvertit gravissima illa, quam jam examinandam suscepi, quaestio. Quomodo in eâ tractandâ versatus sim, judicent alii; Lectorum benevolentiam et indulgentiam candidus imploro.

Gratias autem accipiatis, quas Vobis ago habeoque quam maximas, omnes, quos illustri in hoc Athenaeo nostro cum in litterarum, tum in juris studio Praeceptores habui aestumatissimos; Vestris interesse scholis, Vestris mihi contigit frui lectionibus; ubi ardua cujuscunque studii addiscenda erant rudimenta, ea faciliora mihi et jucundiora Vos reddidistis, et viam monstravistis, quâ ulterius progrederer. Ita Vobis id debeo, si, quantum suavitatis atque utilitatis habeant literarum et juris disciplinae, usu perceperim.

Illi praesertim, qui mihi in juris studio exstiterunt Duces et Praeceptores, pie semper erunt mihi

colendi. Vobis itaque, Clarissimi Viri DEN TEX *et* VAN HALL, *multis nominibus me obstrictum libenter fateor. Me non tantum ad lectiones Vestras, sed in amicitiam quoque et familiaritatem admittere non denegavistis. A primo inde tempore, quo juris studio operam navarem, mihi affuistis; prima mihi monstravistis ejus principia, atque deinceps singularum, quae in juris disciplinâ obviae sunt, partium praestantiam, auctoritatem et argumenta docuistis. Quidquid itaque in juris profecerim studio, id Vobis refero acceptum. Tu praeterea, Cl.* DEN TEX *optime de me meritus es, in hac etiam dissertatione conscribendâ: Tuo consilio confirmatus ad argumentum propositum tractandum progredi sum ausus, mihique illud elaboranti adfuisti, ope atque consilio haerentemque ad certiora adduxisti, ac dubitantem sublevasti. Pro tantis itaque in me beneficiis, vereor, an unquam meritas Vobis habere possim gratias. Hoc tamen Vobis, Viri Praestantissimi, habeatis persuasum, Vos gratum me semper esse experturos discipulum. Vos Omnes, Viri Cll., in posterum mihi concedatis benevolentiam et vero amicitiam, quâ hucusque gravisus sum; Deus O. M. Vos diu, patriae in gloriam, Vestrorum in commodum, servet incolumes!*

Vobis denique, Commilitones carissimi! jam valedicendum est, iis inprimis, quibuscum amicitiâ et familiari consuetudine variis deinceps in sodalitiis junctus fui; temporis semper mihi erit recordatio grata, quod unâ litterarum non minus, quam juris studiis impendimus. Mementote mei aliquando, ego nec vestrum, nec amicitiae nostrae fiam immemor unquam.

CONSPECTUS.

Quaestio in oeconomia politica gravissima occurrit: «*An fieri potest, ut tot res conficiantur novae, ut vendi amplius non possint*» vel «*ut*, quod eodem redit: *res conficiantur novae numero ita magno, ut excedant hominum facultates eas emendi.*» Recte de ea SISMONDI (1). «*Jamais peut-être question plus importante n'a été agitée, jamais conséquences plus serieuses n'ont été attachées à l'adoption de l'affirmative ou de la negative etc.*» Quaestio itaque ipsa in gravissimis numeranda videtur; sed praeterea mihi eam, quantum vires sinunt, elaboranti, multae difficultates obviae factae sunt, quarum unam hîc omittere vix possum. Scilicet Oeconomia politica est disciplina recentioribus temporibus exculta, veteribus fere incognita. Placita omnino nonnulla oeconomica hîc et illic apud Graecos Romanosque occurrunt scriptores, uti testes sunt XENOPHON, *in Oeconomico*, PLATO, *in Rep.*, ARISTOTELES, *in Polit.*, CICERO, *in Off.* Sed numquam

(1) Vid. SISMONDI, *Nouveaux Principes*, 2 ed. II. p. 378.

eo progressi sunt, ut oeconomiam pol. in disciplinae formam redigerent: imo de divitiis, de opibus, de pecunia fere semper non nisi cum aliquo contemtu disputarunt; cujus rei documentum praebet ipse CICERO, cum ait (1): «Sed toto hoc de genere, de quaerenda, de collocanda pecunia, vellem etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis viris ad medium Janum sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur.» Oeconomia pol. itaque est disciplina recens exculta, et lingua Latina diu jam communi ex usu recesserat, cum ad oeconomiae pol. studium accederetur. Jam, ni fallor, nemo non intelligit, perdifficile esse negotium, principia et placita novae disciplinae veteri proponere linguâ, praesertim cum ipsi, qui de oeconomia pol. scripserunt, recentiores, saepius ne ipsâ quidem iis patriâ linguâ facile intelligantur.

Paucis hanc difficultatem adumbremus exemplis. Franci dicunt: «*le principe de la population, l'engorgement du marché, demande, producteurs, consommation improductive*» etc. In lingua latina, ni fallor, non occurrunt verba propria, quae iis respondent, pluribus itaque utendum est verbis, quoties ea designare volumus, quae uno verbo latino non facile exprimuntur: dixi itaque, ne ad alia etiam provocem exempla: *principia, quae auctus vel diminutus numerus populi sequitur, — possunt vel non possunt tot res confici novas, ut excedant hominum voluntatem junctam facultati res eas sibi habendi, — appetitus mediis junctus res novas sibi habendi, — homines,*

(1) CICERO, *de Off.*, 2. c. 25. in f.

qui confectioni rerum novarum operam praestant, — consumtio qua res utendo pereunt» etc. Praesertim multis laboravi difficultatibus in sententiis MALTHUSII et RICARDII exprimendis, qui verbis saepius utuntur, quibus propriam tribuunt vim, qui propria, ut ita dicam, utuntur terminologia. Ita v. c. loquitur MALTHUSIUS de eo, quod dicit *demande effective*, *l'intensité réelle de la demande*, RICARDO de eo, quod dicit, *salaire effectif*, quibus exemplis multa alia addere possem; sed allata jam videntur sufficere ad ostendendum, ipsum argumentum, de quo nobis est agendum, fere prohibere, quominus latinitate utamur purâ, eleganti eaque semper perspicuâ.

De modo, quo ipsam institui investigationem meam, pauca monere praeterea mihi liceat. Nonnullis fortasse videor paulo uberius et fusius eam instituisse, et negare non possum, modum eam tractandi, quem secutus sum, inter brevissimos non esse. Causa vero, propter quam quaestionem ita investigaverim, est haec: quaestio in se perdifficilis est et gravissima, accedente etiam alia difficultate, in scriptorum nonnullorum obscuritate sita, de qua sermo jam fuit; his itaque de rebus tantis tamque gravibus neque satis me commode dicere, neque satis graviter monere posse intelligo. Nam commoditati ingenium, gravitati aetas est impedimento. Singulorum proponendae scriptorum mihi visae sunt sententiae: eorum igitur, quantum fieri potest, attuli ratiocinia, ut cuique fiat perspicuum, non leviter me de eorum sententiis tulisse judicium; uberius itaque hanc quaestionem tractare malui, quam in crimen incurrere levitatis.

Certe audacius est tanti argumenti pertractationem suscipere, sed jucunditas eam quaestionem pervestigandi me allexit: aliquo cum metu igitur ad eam examinandam me transgredi lubens fateor; onus tamen, quod suscepi, feram, ut potero, studio et industriâ.

Si itaque B. L. Latinitate usus sim minus pulchrâ, si quaedam inveniatis veritati minus congrua, si in errores quosdam, multos fortasse, inciderim, spero, ut his quam maxime ignoscatis, omni vestra cum indulgentiâ bonâque cum veniâ, et ut semper recordemini, scriptionis auctorem juvenem esse, qui fortasse rationem magis habuit argumenti jucunditatis, quam virium suarum, cum hanc tantam quaestionem investigare sibi proposuerit.

Mirum est omnino videre, quanta praejudicata opinione nonnumquam ferantur homines in *oeconomiae* politicae disciplinam. Ipsa disciplina apud nos scriptis edendis multo minus est exculta, quam quidem apud alias quasdam gentes, et progressus hujus disciplinae multo magis debentur aliis Europae gentibus, quam quidem nostratibus. Certe nostrates exemplo suo recte docuerunt, causas prosperitatis publicae se non latere, et majores nostri, mercatura sua per totum fere terrarum orbem extendenda, satis ostenderunt rerum ad divitias publicas privatasque facientium eximiam peritiam. Forte sunt, qui oeconomiae politicae doctrinam nimis considerent tanquam theoriam quamdam, nulla quae nititur experientia, eamque hanc ob causam etiam minime attentione nostra dignam putent; vix vero dubito, quin omnes, qui fortasse initio praejudicata illa imbuti fuerint opinione, libris nonnullis, iisque optimis

oeconomico-politicis perlectis, persuasum sibi sint habituri, disciplinam hanc revera experientiâ plerumque et praecipue niti.

«*C'est à tort,* inquit SAY (1), *qu'on a dit que l'économie politique était une science fondée sur des hypothèses et non sur l'expérience, elle est au contraire tout entière fondée sur l'expérience, mais elle veut que dans les jugements, que l'on porte, on tienne compte de la nature des choses observées, aussi bien que des expériences, afin d'avoir la certitude que le phénomème observé est bien véritablement le résultat de celui, qu'on regarde comme sa cause.*» Assentiendum etiam dicto ejusdem scriptoris (2). «*Les connaissances en économie politique ont d'autres bons effets pour les hommes, qui les possèdent, indépendamment de leurs rapports avec le public. Elles suppléent en beaucoup de cas cette expérience, qui coûte si cher et que l'on n'acquiert bien souvent qu'à l'époque de la vie où l'on cesse d'en avoir besoin.*»

Egregium sane dictum et veritati quam maxime consentaneum! Quod si sibi persuasum habent homines, praejudicatae opinioni, qua contra hanc scientiam ferebantur, vix locus superesse potest; hujus disciplinae vero magna utilitas, hujus jucunditas meo praeconio non indigent.

Arctissimum omnino est vinculum, quod intercedit inter *jus publicum*, et oeconomiam pol. Scilicet: civitatis propositum merito dici posse videtur, juris tutela

---

(1) Vid. SAY, *Cours Compl.*, I. p. 16. *Consid. Génér.*

(2) SAY, eod. l. *Cons. Gén.*, p. 39.

et securitas, ita ut quisque habeat exercitium non violandum juris sui, item ut hominum facultates quam maxime excolantur, praesertim, ut iis pateat via, qua ad summam felicitatem et maximam perfectionem progredi possint: iam oeconomia politica docet, quomodo maxime saluti publicae prospiciatur: ita duae hae disciplinae a se invicem divelli fere non posse mihi videntur, cum perquam sit difficile, conservare juris tutelam et securitatem, ubi salus non habetur publica et contra salus publica adesse non potest, ubi non est juris tutela et securitas. Varia illa quae dici possunt proposita civitatis sibi invicem ferunt auxilium, et ita etiam disciplinae ipsae, quae circa ea versantur (1).

Jam videndum, num dictum illud veritati sit congruum. Leges naturales, quae sunt tamquam moderamina originis, distributionis uti etiam consumtionis divitiarum, argumentum efficiunt oeconomiae politicae. Harum legum notitia, quae multorum hominum doctissimorum intelligentia et experientia magis sunt illustratae et excultae, earumque legum usus recte adhibitus, necessario multum facere debent ad salutem et felicitatem communem promovendam: hac ratione si eas consideramus, nobis a veritate aberrare non videmur, si dicimus: inter leges illas divitiarum et prosperitatis naturales et salutem et felicitatem eadem fere est necessitudo, ac ea, quae intercedit inter jus naturae et jurisprudentiam. Oeconomia politica inquirit porro, quo modo salus et felicitas secundum negotiorum naturam optime ad meliorem statum adduci possint, itaque etiam in se continet in-

(1) Cf. *Lettres de* J. B. Say *à* Mr. Malthus, L. I. p. 17 sqq.

vestigationem quamdam legum institutorumque, quae tendere debent ad salutem et felicitatem quam maxime promovendam (1). Sponte ita patet, si argumentum quoddam oeconomico-politicum tractare volumus, non solum attendendum esse ad disciplinam ipsam, sed etiam ad instituta legesque populorum. Aliquando enim ex populorum historia exempla adducere utile est, ut eorum, qui aliquo de facto falso judicium ferunt, errores repellantur, ratiocinia rejiciantur, quae fundamento carent, et vera principia vindicentur; exemplum praebebit hujus rei fortasse ipsa nostra quaestio, in qua aliquando doctrinae principiis, quae revera recte erant posita, tributum est, quod potius tribuendum fuisset factis i. e. malis legibus et institutis. Patet ita, quomodo jus publicum et oeconomia politica inter se cohaereant, quod etiam exemplo quodam magis adhuc illustrare iam conemur.

Tempore Elisabethae, Angliae reginae, anno nempe 1601 censuerunt homines politici, auxilium ferendum esse pauperibus, et ideo constituerunt, ut, si homines illi, qui labore quotidiano victum sibi quaerere sunt soliti, non habeant, unde vivant, curia (*the parish*) in qua habitant, iis auxilium ferat; id, quod pauperibus eo nomine praestandum est, augetur certa quadam ratione habita liberorum, quos pauperes habent; expensae ferendae sunt ab incolis curiae cujusvis, ea ratione, ut, pro modo tributorum solvendorum, eo majorem partem quis ferat etiam in pecunia ad auxilium pauperum conferenda: vocatur hoc auxilium, vel potius tributum,

(1) Cf. Mac-Culloch, *Princ. of pol. Ec.*, p. 23 sqq. coll. p. 61 sqq. London 1830.

poor-taxe. Jam ita calamitates et mala pauperum se deminuere crediderunt. Egregium sane et omnibus laudibus dignum propositum! Sed quod ad modum, quo illud adsequi sibi visi sunt, nihil habemus, nisi quod eorum quam maxime misereamur, auxilium enim illud pauperibus afferendum in perniciem fere totius Angliae conversum est (1). Statim hoc nobis apparebit, si principia, quae auctus vel diminutus numerus hominum sequitur, attendimus; de his principiis agens dicit Say (2). « *Qu'est-ce donc qui manque aux êtres organisés pour multiplier à ce point? l'espace et l'aliment.* » — Jam capite sq. Say disputat de limitibus, qui coarctant incrementum numeri hominum, maxime p. 170, quo cum loco si confertur alius, T. IV p. 45 sq., satis nobis apparere debet, tale auxilium revera fere auxilii nomine indignum esse. — Quid igitur faciendum fuisset: propositum ipsum vehementer laudavimus. Ricardo nobis viam aperuit, contendens: nullam rationem auxilium ferendi pauperibus commendari posse, nisi quae eo tendit, ut auxilio carere aliquando possint (3).

---

(1) Cf. Say, *Cours Compl.*, IV. p. 43 sqq.

(2) Vid. Say, o. l. III. p. 159. cf. id o. l. III. p. 164 et 166, et qui ibi citantur Steward, I. p. 208. ed. angl. et Herrenschwand, *discours sur la population:* cf. maxime Malthus in pulcherrimo ejus opere de hoc arg: *Essai sur le principe de la population.*

(3) Vid. Ricardo, *Principes de l'éc. pol. et de l'impôt.* I. p. 151—157. Cf. Say, *Cours Complet.*, III. p. 215. sq. IV. 46. de Tracy, in *Comm. sur l'esprit des lois*, ch. XVI. Mac-Culloch, *Princ.*, p. 418 sqq. Orphanotrophia, Nosocomia, et quae hujus generis plura sunt instituta, tamen ita non improbamus, quia haec non multum videntur facere ad conditionem publicam populi mutandam, uti facit lex de pauperibus in Anglia lata.

Ex hoc exemplo patet, quantopere necessaria sit notitia hujus disciplinae et juris publici legum conditoribus iis omnino, qui civitatibus sunt praepositi; patet ita quam arctum sit vinculum, quo jungitur oeconomia politica cum jure publico (1).

Non possumus, quin etiam nonnulla animadvertamus, quae *statisticam* spectant, cum non semel factum sit, ut erraverint scriptores in contemplando vinculo, quod intercedit inter oeconomiam politicam et statisticam: possumus autem has disciplinas satis recte considerare tanquam causam et effectum. Ita etiam SAY (2). «*L'économie politique, c'est-à-dire, la connaissance de la nature des choses, et la statistique, qui nous instruit des phénomènes, qui en sont les résultats.*» Alii statisticam considerarunt tanquam causam et fundamentum, ex quo principia oeconomiae politicae haurienda sint (3). Certe negari non potest, usum et experientiam, quam statisticae notitiae debeamus, saepe multum valere posse ad illustrandas quaestiones oeconomico-politicas. Attamen oeconomia politica est disciplina, nitens principiis suis, una semper est ea eademque; principia igitur hujus disciplinae propria sibi constant, statistica est diversa aliis locis et temporibus: SAYUS etiam oeconomiam politicam et statisticam inter se comparans, ita pronuntiavit (4): «*La statistique peut énoncer et ne saurait l'expliquer et ceux, qui tentent de l'expliquer sans connaître*

(1) Cf. RAU, *Lehrb.* I. § 1. coll. I. § 15. MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. Ec.*, p. 8. coll. p. 61.

(2) SAY, *Cours Compl.*, IV. p. 190.

(3) SAY, *Cours Compl.*, IV. p. 193.

(4) SAY, *Cours Compl.*, IV. p. 193.

l'économie des sociétés, sont convaincus d'absurdité à tout moment.» Statistica autem si recte adhibetur, potest omnino multos illustrare errores, qui occurrunt in sententiis nonnullis circa oeconomiae politicae principia latis, potest etiam efficere, ut certo jam judicetur de sententiis antea dubiis, qua de re etiam SAYUS (1) dicit: «*La nature des choses et le raisonnement pouvaient prévoir de tels resultats: mais ils sont bien plus éloquents, quand ils ont reçu la sanction de l'expérience*» (2). Certe oeconomia politica, quo plures eam excolant, eo magis etiam ea justo aestimabitur pretio: SAYI dicto igitur suffragium denegare non possumus, cum ita de illius disciplinae studio pronuntiat (3): «*Je suis persuadé que cette étude sera bientôt le complément necessaire de toute education libérale*» (4). Sed et summae hujus disciplinae utilitatis exemplum et documentum est, ni fallor, ipsum hujus dissertationis argumentum. Certe calamitates classis opificum, gravissimum est societatis malum et nihil fere magis est optandum, quam ut eae, quantum fieri potest, avertantur. Cavendum autem quam maxime, ne falsa commendentur principia, nam sola illa, quae vera sunt certisque nituntur fundamentis, iis calamitatibus remedium afferent: remedium enim a falsis principiis ductum non solum non averteret calamitates, sed efficeret, ut

(1) SAY, ll. p. 196.

(2) *De differentia inter statisticam et oeconomiam pol.* Cf. Vir. Cl. DE BRUYS, *over het verschil der Statistiek en Staathuishoudkunde in de Star.* 1825. bl. 321. Cf. RAU, *Lehrb. der pol. Oek.*, I. § 24 sq. MAC-CULLOCH, *Princ.*, p. 64 coll. p. 15 sqq.

(3) SAY, *Cours Compl.*, I. *Cons. gén.*, p. 43.

(4) Cf. MAC-CULLOCH, ol. p. 24 sq.

veteribus malis accederent nova: novum ita oriretur documentum, qualia jam tot habentur in historia gentium, omnem errorem in oeconomia politica quam maxime esse periculosum, quoniam a mediis recte vel male adhibitis salus pendent et vita saepius non solum nonnullorum hominum sed populorum. Quid itaque? sane nihil magis optandum est, quam ut quo citius melius ad veritatem progrediamur, etiam quod attinet ad principia oeconomiae politicae cognoscenda, ut ita instituta, quae saluti communi et felicitati sint contraria tolli possint, iisque paulatim substituantur omnia ea, quae revera efficax remedium afferre possunt malis, quae hodie plurimas premunt civitates. Licet vero ita longum adhuc aliquot annorum spatium praeteribit, antequam hîc et illic malorum remedium ad veras illas calamitates sanandas et tollendas adhiberi possit, tamen magis magisque ad veritatem progredi conari debet humanum genus. Utinam hoc veritatis indagandae studio lectoribus benevolis se commendet haec quoque investigatio mea!

CAPUT I.

PROPONITUR IPSA QUAESTIO DEQUE EA DISPUTATUR UNIVERSE.

Iis, quae hucusque magis universe de oeconomia politica diximus, praemonitis, jam tuto progredi posse mihi videor ad proponendam ipsam nostram quaestionem; haec vero eo redit: «*An fieri potest, ut tot res novae conficiantur, ut vendi amplius non possint.*» vel quod idem sonat: «*ut res novae conficiantur numero ita magno, ut excedant hominum necessitates et facultates eas emendi.*» Ita proponentes hancce nostram quaestionem, nobis videmur, quantum fieri potest, idem illud significasse, quod Galli dicunt: «*l'engorgement ou l'encombrement du marché.*» Nos vero si eam quaestionem nostratium lingua proponeremus, eam ita recte definiri posse putamus: «*Behandeling van de vraag, of er te veel goederen kunnen voortgebragt, en de markt overvoerd kan worden.*» Hisce adjectis clarius fiet, quid nobis velimus, si dicimus: «*An fieri potest ut tot res novae conficiantur ut vendi amplius non possint* etc.»

A re autem alienum non videtur si hoc loco breviter notamus, quale nobis incumbere censeamus munus in nostra quaestione pertractanda. Quaerentibus de ordine quem in hac investigatione servaremus, optimum visum est, si Capite I°. universe nonnulla moneamus de ipsa quaestione, ut v. c. videamus, quidnam locum dederit quaestioni, ut pauca dicamus de ejus ambitu etc. Capite II°. varias exponamus, quantum possumus, variorum scriptorum sententias et doctrinas de nostro argumento et Capite III°., de singulis in hoc specimine allatis scriptoribus disseramus, qui locus simul opportunitatem praestabit significandi, quid hac de quaestione nobis quidem sentiendum videatur.

§ 1. *Breviter adumbratur ipsius quaestionis historia.*

Quaestio haec recentiore magis tempore agitata est et longe abest, ut dicere possimus, jam constare, quid hac de re existimandum sit, neque mirum hoc videri potest, si magis investigamus in ipsam quaestionis naturam; ex hac autem patet, uti eam definivimus, sermonem esse de abundantia rerum confectarum ita ut foret nimia, quam quae consumeretur: opus igitur est ut valde excultae sint facultates hominum in rerum quarumvis confectione, antequam casus accidere possit, quo confectio illa rerum nimia evasisse videretur. Jam igitur videamus, quidnam ansam dare possit tantis facultatum varias merces conficiendi incrementis, ut ex iis casus existere possit, qui homines adduxit ad nostram quaestionem agitandam.

Praecedentibus saeculis casus ille, quod nimium confici videretur, non facile adesse poterat, cum omnia ita essent constituta, ut industria humana multa relinqueret posterioribus saeculis perficienda, obstabant etiam monopolia, quae corpora et collegia exercebant, (*gilden* etc.), quorum instituta se ita habebant, ut per ea tantum certis hominibus permitteretur, certam quamdam artem vel opificium exercere, et hoc quidem multis sub conditionibus, quae efficerent, vel ut homo tantum ille, qui certam quamdam aetatem attigerat, artem vel opificium exercere posset, vel ut numerus hominum huic arti vel opificio deditus augeri non posset (1). Industria igitur restricta erat inter fines angustos; quum nonnulli tantum homines hanc illamve artem jure exercere poterant. Numerus etiam civium non nisi tarde admodum accrescebat, minor longe erat aemulatio, aptitudo etiam ad res conficiendas decrescebat fere. Haec corpora et collegia, licet in primis industriae et artium initiis magnam utilitatem praebuerint, tractu temporis antiquata erant: ita factum est, ut exstiterint, qui monopolia, corporibus et collegiis concessa, non tantum inutilia, sed etiam noxia profiterentur. Inprimis ita fecit Quesnay (natus 1694 mortuus 1777) qui auctor fuit *systematis oeconomistarum* vel *Physiocratici*, quod dicitur, qui profiteretur: «homines debere tueri plenam libertatem mercaturae, quoniam politica prudentia quam maxime secura, optima et nationi et imperio, lucrosissima merca-

(1) Cf. de his collegiis K. H. Rau, *Lehrb. der pol. Oek.*, II. § 177 sqq. Heidelb. 1826. et Ch. Ganilh, *des Syst. d'éc. pol.*, T. I. l. 2. ch. VI. et C. J. Fortuyn, *Specimen inaug. de Gildarum Historia, forma et auctoritate politica medio inprimis aevo.* Amstel. 1834, passim.

turae internae et externae consistit in plena libertate» (1).

Alius etiam fuit qui, eidem favens systemati, de eo loquens, hanc proferret sententiam: «Mundus sponte progreditur, si fruendi et cupiditas et libertas conjunctae habentur: sic enim numquam desinunt homines res procreare novas, sic auctâ industriâ toti societati communis erit propensio ad conditionem suam quam optimam reddendam (2).

Alio loco nobis nascetur adhuc opportunitas latius de hoc physiocratico systemate agendi, nunc autem dicta videntur sufficere ad ostendendum, aliter jam homines incepisse sentire de monopoliorum et collegiorum utilitate, et sane eadem haec sententia magis magisque invaluit, quod mirum nobis accidere nequit, si tempus attendimus, quo hanc opinionem defenderent viri hujusce systematis libertati adeo faventis auctores. Incidit enim illud in partem dimidiam postremam superioris saeculi (3); jam scimus, omnes tunc praesertim in Francia homines ductos fuisse studio libertatis, ita ut omnia vincula vel potius instituta, quae hucusque viguerant, quaeque modo speciem referrent vinculi alicujus, abroganda censerent. Idem hoc experta sunt collegia et cor-

(1) *Physiocratie*, 1 part. p. 119.

(2) Vid. MERCIER DE LA RIVIÈRE, in opere *L'ordre naturel et essentiel des sociétés politiques*, T. II. p. 444. Cf. etiam A. SMITH, *Wealth of nations*, T. III. p. 17.

(3) Ita opus F. QUESNAY, editum est 1767 a DUPONT DE NEMOURS, titulo: *La physiocratie ou constitution naturelle du gouvernement le plus avantageux au genre humain*; in *Recueil des principaux ouvrages économiques de* Mr. QUESNAY, redigé et publié par DUPONT DE NEMOURS, 2 parties. 1767, eodem anno prodiit opus cit. MERCIER DE LA RIVIÈRE, et alia quoque similia circa hoc tempus sunt edita.

pora, quibus plane finem imposuit coetus constituens (*l'assemblée constituante*), decreto diei 17 mensis Martii 1791; exemplum hoc, quod ita praebuerunt Franci, permultae dein aliae nationes secutae sunt et ita factum est, ut systema invaluerit longe magis libertati favens, et exstiterit forum multo magis universale inter rerum confectores ipsos. Variae in Europa (1), uti etiam in America, regiones novo illo jam utuntur systemate, imo magis magisque adhibetur illud, licet longe absit, ut vigeat plane et omnibus in partibus apud aliquem populum: nonnulla enim plenae illi libertati concedi neque posse neque debere videntur.

Ipsius autem hujus systematis libertatis et concursus venditorum vis est et efficacia, ut quam maxime augeantur facultates conficiendi, uti recte animadvertit jam Mercier de la Rivière l. l., has vero facultates quam maxime etiam auxerunt major divisio laboris, major perfectio et usus machinarum, quae a medio inde saeculo praecedenti magis magisque perficerentur et adhiberentur (2).

(1) Sic in Westphalia corpora illa abolita sunt 5 m. Aug. 1808, in Hispania primo 3 m. Jun. 1813, et 2°. 26 m. Maji 1820, (utraque vice autem rex, quod actum erat, retraxit) in Neapoli 20 Nov. 1826, in regione Nassovica, 1809 etc. cf. Rau, *Lehrb.*, II. § 190 in notis

(2) V. C. In Anglia 1765 introductus est usus machinae alicujus ad lanam ducendam. Jam tunc ante ejus usum invehebantur in Angliam librarum lanae rudis 3½ decies centena millia; anno autem 1824, 220, decies centena millia. 1765, exportabantur merces ex lana confectae, quae valerent pretium 200,000 libr. sterl. anno autem 1824, valore 30,795,000 libr. sterl. Jam ita accrevit opificum numerus, ut Manduessedi numerus populi auctus sit intra 50 annos a 50,000 ad 200,000 et Glasqui a 40,000 ad 150,000 in ejusdem temporis spatio, cf. Rau, *Lehrb.*, I. § 401 in nota.

Per ea autem omnia, quae hucusque accesserunt, ita auctae sunt facultates conficiendi, et confectio rerum revera etiam tantopere accrevit, ut plus semel acciderit, ut homines, quod confecerant, vendere non possent, vel si jam venderent, saepius non nisi magno cum damno vendere possent.

Tunc quidem, quoniam damnum illud miseriâ afficeret confectores ipsos non solum, sed magnum etiam opificum numerum, qui multitudine fere in diem accreverant, cum semper plures requirerentur ad res novas conficiendas, tunc inquam, homines, benigno imbuti consilio erga genus humanum surrexerunt, qui nostram agitarent quaestionem et causas indagare conarentur illius facti, quod rerum confectarum quantitas tota vendi non possit nisi cum damno, ut, causis hisce detectis atque expositis homines in posterum ab ejusmodi calamitate sibi cavere possent et ita quam maxime generis humani saluti consuleretur.

Eorum autem, qui ita conamina sua adhibebant, ut causas ejus calamitatis pervestigarent, nonnulli sunt, quorum nomina hoc loco vix praeterire possumus, quosque etiam in tota hac quaestione pertractandâ semper fere et continuo in consilium vocabimus. Hi praesertim sunt J. C. L. Simonde de Sismondi, M. T. R. Malthus, K. H. Rau, J. R. Mac-Culloch, D. Ricardo, J. B. Say aliique, omnes viri magni ingenii magnaeque doctrinae, qui singuli suas meruerunt laudes, de oeconomia politica optime meriti. Omnes autem hi scriptores in operibus suis, quae suo loco memorabimus, suas protulerunt de nostra quaestione sententias, quas accuratius, si nobis bene cedit, capite notabimus se-

quenti. Hoc loco vero animadvertisse sufficiat, quam maxime eorum doctrinas esse diversas, dum alii contenderent, fieri posse, ut omnium rerum novarum tanta conficiatur quantitas, ut nimia omnium rerum adsit abundantia, quam ut omnes vendi possint, alii putarent nonnullarum tantum specierum rerum novarum nimiam posse confici abundantiam, ita ut res tantum earum specierum vendi omnes non possent, alii autem contenderent, difficulter admodum alicujus speciei res nimio numero posse confici. Eandem diversitatem notare licet, quod attinet ad causas, quibus hanc calamitatem tribuerent. Sunt, qui dicant, facultatem merces conficiendi ad excessum duci posse (cujus excessus effectus nempe est, ut nimium mercium conficiatur) et cursum naturalem societatis, qui tendit ad augendas semper eas facultates, ideo debere restringi; sunt alii, qui profiteantur, consumtionem satis magnam non esse, quique hanc ob rem proferant sententiam et consilium augendi consumtionem, qua res utendo plane pereunt, (*consommation improductive*) ut ita, si res nimio numero adsunt novae, vendi atque ita consumi possint. Alii denuo putant causam, propter quam omnes res vendi nequeunt, non quaerendam esse vel in nimia earum confectione propter facultates conficiendi ad excessum perductas, vel in consumtione rerum nimis parva, sed in confectione earum ne sic quidem satis etiam aucta, dicentes: «opus est si quis emet, ut habeat unde emat, jam homines facultatem emendi sibi comparare non possunt, nisi ipsi res conficiant, quae certum habeant valorem, quas tunc cum aliis rebus permutare possint: alii autem auctores aliis rursus favent senten-

tiis, quorum autem omnium accuratior et plenior fiet mentio et expositio in capite sequenti. Hic tantum liceat paucis illustrare, quid secundum nostram opinionem huic tantae sententiarum diversitati ansam praebuerit.

Cohaeret multum, uti vidimus, nostra quaestio cum nova, quae ante aliquot annos in Europa exstitit, nationum conditione politica: homines se libertatis studio duci passi sunt et invaluit systema, quod libertati quam maxime faveat; vidimus illud systema vim suam etiam exercuisse in oeconomiam politicam, et nationes, quae antea monopoliis uterentur, jam majore frui libertate: accedit major perfectio et major usus machinarum, itaque a veritate aberrare nobis non videmur, si dicamus, novam quamdam in oeconomia politica exstitisse aeram. Una cum ea novi iique multifarii exstiterunt casus, de quibus singuli fere homines suas habent opiniones. Jam si historiam in consilium vocamus, haec nos docebit, non solum minime mirum esse, doctrinas diversas nostro de argumento esse prolatas, sed nos etiam faciet certiores, nos multum habituros fuisse, quod miraremur, si hae opiniones non essent diversae. Ita pronuntiavit vir celeberrimus Pölitz, qui optime de historia meritus est (1): «*Telkens als een nieuw groot denkbeeld bij het opgeklaard gedeelte des menschdoms ontstaat, moet hetzelve deels eenen harden strijd met de vrienden van het oude en de kinderen der duisternis doorstaan, alvorens het zich nevens de heerschende stelsels kan handhaven, deels kan het niet missen, dat zoodanig nieuw denkbeeld door velen*

(1) Pölitz, *Algem. Geschied.*, III. p. 302.

miskend, kwalijk begrepen en tot onzuivere oogmerken misbruikt wordt.» Hanc Pölitzii vocem verissimam puto; confirmat eam antiquitatis non minus, quam temporis recentioris historia: neque etiam, ut mihi videtur, fere esse potest, qui veritatem hujus dicti agnoscere recuset; si vero quis fortasse erit, qui adhuc dubitet, ipsam adeat ille historiam; discat ibi, ut alia infinita exempla praetermittam, quaenam opinionum diversitates concomitatae sint originem et progressum religionis Christianae, quidnam acciderit tempore reformationis; adeat historiam, inquam, et videat exempla, quae veritatem hujus dicti plus satis ostendunt, inveniri unaquaque fere historiae aetate, et si tandem ad ipsam nostram perveniet quaestionem, si indagabit casus, qui quaestioni nostrae pertractandae ansam dederunt, nihil amplius mirabitur, opiniones scriptorum de nostro argumento adeo esse diversas, et libenter profitebitur, diversitatem illam, illustratam dicto Pölitzii, nihil amplius in se continere, quod mirum nobis accidat.

§ 2. *De ambitu Quaestionis.*

Si ipsam quaestionem pertractare volumus, supervacuum non videtur, nonnulla hîc subjicere de ejus ambitu, antequam ad ipsum illud transgrediamur, quod nobis proposuimus. Si autem eam accuratius ante oculos habemus, hunc ambitum magnum esse fatendum est.

Ex iis, quae diximus de diversitate opinionum, patet fuisse, qui casum, quo res novae vendi non possent omnes tribuerent vel nimiae earum confectioni vel consumtioni nimis parvae; alii ita fuerunt etiam, qui ejus

causam sitam esse contenderent in distributione divitiarum inter varias societatum civilium partes, dicentes res posse vendi eo minore numero, quo pauciores homines infinitis gaudeant divitiis, dum eo plures paupertati sint dediti; contra venditores eo esse frequentiores, quo plures homines aequalibus fere gaudeant divitiis; sunt denique alii adhuc, qui pro certo habeant principia oeconomiae politicae firmiter satis esse constituta; si vero haec non eundem semper habeant effectum, illud tribuendum esse rebus et temporibus ab iis principiis alienis: v. c. perversis institutis publicis, quae hic et illic vigeant, bello enascenti, vel quod merces ad vendendum in eam regionem vehantur, in qua incolae non satis mercium ipsi conficiant, ideoque non satis sint locupletes, ut merces allatas emere possint, aliisque similibus causis. Patet itaque in pertractanda hac quaestione tres partes principales oeconomiae politicae nobis esse considerandas, 1ª. ipsarum divitiarum continet confectionem, 2ª. earum distributionem, 3ª. earum consumtionem: variae autem sententiae, de quibus monuimus, jam hasce tres spectant partes, earum igitur elementa videntur accuratius investiganda, non ita, ut systematice notemus, quomodo in singulis iis partibus omnia secum cohaereant, quomodo v. c. fiat, ut per accumulationem augeantur sortes; sed ut videamus, num revera hac illave in parte quaerenda sit causa, quae effecit, ut res nonnullae vendi non possint; ex dictis autem satis patet, nos in hoc specimine non solum contemplaturos esse elementa oeconomiae politicae, sed accedere etiam oportere res et causas diversas variorum temporum proprias; hae enim, uti in omni casu, ex

quo consequentias circa oeconomiam politicam deducere volumus, ita etiam in iis casibus inprimis attendendae sunt, qui scriptores ad nostram quaestionem agitandam adduxerunt.

Ita consideravimus ambitum quaestionis ratione habita totius doctrinae oeconomiae politicae: jam nunc eum alio sub adspectu contemplemur. Si homines consideramus eorumque diversas classes in societate civili, statim agnoscendum nobis est, vario modo homines, labore suo, sibi quaerere victum: jam autem pro diversitate, qua laborem homines adhibent, ad diversas etiam classes pertinere videntur illi; magna vero inter oeconomiae politicae scriptores vertitur lis, utrum omnis ille hominum labor inservire possit ad procreandas divitias nec ne? qui hoc negant scriptores, distinguunt inter laborem, qui inservire possit ad procreandas divitias et qui eo inservire non possit (*travail productif et travail improductif*) (1); hi itaque contendunt: divitias eas esse res tantum, quae, a procreationis tempore usque ad consumtionem, per tempus aliquod existere et per illud tempus accumulari possint (2). Haec secundum illorum igitur placita sunt rerum requisita, ut divitiis adnumerari possint, nempe ut conficiantur, accumulari possint et consumantur; itaque hac definitione excluduntur omnia, quae eodem momento, quo

(1) Vid. A. Smith, *Richesse des Nations*, 2 ed. 1805. vol. 1. p. 2.

(2) Cf. Sismondi, *Nouv. pr.*, 1. p. 62. «*L'Histoire de toute richesse est toujours enfermée entre ces mêmes bornes; le travail qui crée, l'économie qui accumule, la consommation qui détruit.*» Idem fere Malthus, *Princ. d'éc. pol.* I. p. 5 sqq. Ricardo, *des Princ. de l'éc. pol. et de l'impôt.* I. p. 6. aliique.

procreantur, etiam consumuntur, ut v. c. sunt soni musici, saltatio etc. (1). Jam prouti homines adhibent laborem, quo divitiae procreari et augeri possunt vel non possunt, labor iis scriptoribus dicitur res proferens aut non proferens, (*productif* vel *non productif*). Alii autem hanc distinctionem non admittunt, dicentes, omnem laborem revera adhiberi posse, ita ut augeantur per illum divitiae nationales: ita se habet Sayi sententia (2) qui profitetur: «*l'utilité est la source de la valeur qu'ont les choses, — cette utilité peut être créée, peut avoir de la valeur, et devenir le sujet d'un échange, sans avoir été incorporée à aucun objet matériel.*» Haec sententia Sayi et rationes, quas hac de re affert, multum habent, quo se commendent, litem autem ipsam dirimere non conabor, quia ea res ad nostrum argumentum non adeo pertinet, cum tantum in ea sermo sit de divitiis materia et corpore constantibus.

Illi autem, qui confectioni divitiarum materia et corpore constantium operam dant in civitate, maxime sunt 1°. qui agros colunt, qui vel laborem, vel sortes suas vel utrumque in ipsam terrae culturam adhibent, ut exinde res novas extrahere possint et ita sibi prospiciant; 2°. ii, qui exercent artem fabrilem, qui res sibi comparant a primo earum confectore, ut eas transforment mediis chemicis vel mechanicis aliisque; 3°. homines, qui mercaturam agunt, qui res sibi comparant uno in loco, ut eas transportent in alium, qui operam navant ut ii, qui illis indigent, facilius eas obtinere

(1) Vid. Sismondi, II. p. 63.

(2) Vid. Say, *Cours Compl. d'éc. pol. prat.*, I. p. 110. Cf. etiam Ganilh, *des Systèm. d'écon. pol.* I. p. 120 sqq.

possint; quod vero ad hancce distributionem hominum in classes attinet, teneatur semper hoc Sayi dictum (1): «*Vous verrez en effet, que cette classification offre quelque facilité pour remonter aux causes et prévoir les résultats; mais je vous prie de ne pas perdre de vue, qu'elle est arbitraire et adoptée uniquement pour notre commodité. — Le cultivateur est manufacturier, quand il presse sa vendange pour faire du vin; le jardinier est négociant, quand il porte ses salades au marché.*» etc. Olim autem magna fuit lis, utrum singulae hae hominum classes, ad divitias procreandas et augendas concurrerent nec ne? Tunc quidem pro diversa hominum sententia, pro diverso temporis puncto, videbantur vel agricultura, vel opificia, vel mercatura inprimis favere incremento divitiarum; pro hac diversitate etiam vel classem hominum, qui agriculturam exercebant, vel classem eorum, qui opificiis operam navabant, vel classem eorum, qui mercaturae vacabant, extollebant Imperantes vel opprimebant. Ita Oeconomistarum secta maxime favebat agriculturae, profitens, hanc prae ceteris multum afferre ad procreationem divitiarum: «*Die weitere Verarbeitung der Stoffe* (ita eorum proferens doctrinam inquit vir cl. Rau) (2), *und der Umtausch im Handel können keine neuen Güter erzeugen, sie erhöhen nur den Werth der Stoffe um so viel, als während und zum Behufe dieser Verrichtungen andere Bodenerzeugnisse verzehrt werden.* Ita autem de hac lite jam nunc judicarunt

(1) *Cours Compl.*, I. p. 128 sq.
(2) *Lehrb.*, I. § 39.

scriptores, ut profiterentur, agriculturam, opificia et mercaturam concurrere ad divitias augendas (1).

Agriculturam multum in se continere, quo se maxime commendet, dubium non est: industria enim, quae adhibetur in terram, ut ex ea extrahantur proventus, quales natura eos nobis offert, omnes ceteras praecessit; hae res autem multitudine demum increscunt, si opera jungitur sortis cum labore: cum itaque terra fertilitate majore semper fruatur, quo magis est exculta, et quo perfectior est agricultura, patet, eam magnas in se continere divitias, si homines tantum facultate fruuntur eas percipiendi: major autem fit haec facultas, quo majore numero homines e terra percipere possunt res, quibus vitam sustentent, eo plures homines etiam vivere possunt, eademque ratione eorum numerus accrescet: cum itaque res ex ipsa terra profectas homines sibi comparare possunt pro labore et sortibus in ejus culturam adhibitis, patet res hasce divitiis adnumerari posse, quae igitur eo magis accrescunt, quo magis agricultura est perfecta.

Si porro opificia consideramus, multis nominibus se illa commendant: negari nequit haec etiam multum facere ad divitias procreandas et augendas; res enim rudes e terra profectae per ea novam accipiunt formam et ita quidem conficiuntur, ut necessitatibus et voluptatibus hominum quam maxime faciant satis; quo magis huic fini respondent, eo majorem sane habent utilitatem, et quoniam gratis homines res ita confectas sibi comparare possunt numquam, intelligitur eas inter divitias sensu

(1) Cf. vir. cons. A. A. DEL COURT, in specim. oec. pol. jurid. *de Nundinis* LB. 1833, p. 2 sqq.

oeconomico numerari debere, nationemque dici eo ditiorem, quo magis omnibus gaudet mediis, quibus satisfaciat necessitatibus et voluptatibus hominum quam plurimorum, qui ejus sunt socii: intelligitur ita, quomodo opificia novas semper formas rebus rudibus tribuendo, novam utilitatem iis adjiciendo faveant augendis et procreandis divitiis.

Quod ad mercaturam attinet, multi fuerunt, qui lucrum ex mercatura nationibus nasci negarent, profitentes, simplice emtione et venditione nihil valoris rebus venditis adjici. Mercatura autem definiri posse videtur emtio et venditio, vel simplex permutatio mercium, facta a contrahentibus eum in finem, ut, rursus vendendo res ita emtas lucrum quoddam sibi compareut. Hunc finem igitur ut mercatura attingere possit, necessaria est conditio, ut merces, quae ejus constituunt objectum, majorem habeant valorem ei, qui eas sibi acquisiverit, quam ei, qui eas vendiderit; nisi enim ita novum accipiant valorem, venditorem earum ditiorem nullo modo, quam antea fecissent. Jam videamus quomodo mercatura divitias augere possit.

In variis terrae locis, diversum est clima, solum, et varia est hominum indoles pro hac diversitate, hinc sequitur, aliis in locis alia proferre naturam, ad alia homines aliis in locis esse aptos: hinc obtinet discrimen valoris, quem merces variis in locis habent: hoc discrimen autem climatis, soli, indolis, et divitiarum hominum constituit fundamentum omnis mercaturae, externae scilicet et internae. Ita, ut exemplo utar: mercatores nostri ex Indiis quaerunt saccharum, quod ibi abundat: illud autem huc transportant et vendunt ma-

jore pretio, ita ut non solum omnes tam procreationis, quam transportationis sumtus restituantur, sed libenter insuper illi, qui utendo saccharum consumunt, lucrum concedunt mercatoribus, quoniam sibi a mercatoribus allatum saccharum minore adhuc constat pretio, quam si quisque qui saccharo utendo illud consumere voluisset, coactus fuisset ipse ex Indiis saccharum, quod sibi comparare vellet, in locum transferre, ubi eo uterentur homines (1): idem hoc animadvertit vir consultissimus, WALLER in Diss. *de ratione, qua mercatura divitiis gignendis et augendis inserviat.* Amstelod. 1829. p. 45 dicens: «*non quia merces transportantur valor earum augetur, sed quia novo possessori pluris valent sive ut necessitatibus obveniat, sive ut gaudia et voluptates exinde percipiat. Per transportationem tanquam per medium augetur valor, quia in eo loco in quem transferuntur, sunt homines, quibus res pluris valet, quam ubi merces jam adsunt.*» Mercaturae ita permulta et maxima sunt commoda, uti recte mihi his verbis notasse videtur vir celeberrimus ROBERTSON (2): «*Commerce tends to wear off those prejudices, which maintain destinction and animosity between nations. It softens and polishes manners of men. It unites them by one of the strongest of all ties, the desire of supplying their mutual wants. It disposes them to peace by establishing in every state an order of citizens, bound by their interest to be the guardians of public tranquillity. As soon as the*

(1) Cf. SAY, *Cours Compl.*, I. p. 341, et DEL COURT, specim. laud. p. 17 sq.

(2) *History of Charles V*, Paris. 1828. p. 49.

commercial spirit acquires vigour and begins to gain an ascendant in any society, we discover a new genius in its policy, its alliances, its wars, its negotiations. Conspicuous proofs of this occur in the history of the Italian states, of the Hanseatic league and the cities of the Netherlands during the period under review. In proportion as commerce made its way into the different countries of Europe, they successively, turned their attention to those objects and adopted those manners, which occupy and distinguish polished nations.»

Ex iis, quae monuimus de agricultura, opificiis et mercatura jam nobis patere videtur, merito de omni labore sive in agriculturam, sive in opificia, sive in mercaturam adhibito dixisse Ganilh (1): *Combien le spectacle de tous les travaux concourant à la production de la richesse, sans autre prééminence, ni distinction, que celle, que leur assure l'échange de leurs produits, est encourageant pour les classes laborieuses, stimulant pour les peuples, favorable à la civilisation, honorable pour l'humanité! Dans ce système tout les hommes suivent leur penchant, développent, perfectionnent leurs facultés, s'encouragent par une noble émulation, sont avertis à chaque instant du besoin qu'ils ont les uns des autres, se lient entre eux par des rapports habituels, s'attachent par leurs intérêts reciproques et renouent les liens de la grande famille du genre humain, que la séparation des familles nationales avait brisés. Ces fa-*

(1) In opere *des Systèm. d'écon. pol.* 1821. I. p. 173.

milles éparses sur le globe, ne sont plus étrangères entre elles, travaillent l'une pour l'autre et correspondent ensemble malgré les gouffres des mers et l'aspérité des climats, les montagnes inaccessibles et les déserts inhospitaliers. Grâces au genie du commerce et aux inépuisables ressources de l'industrie tous les périls sont bravés, toutes les difficultés sont vaincues, tous les obstacles sont surmontés, et les bienfaits du travail général circulent dans le monde entier»

Videmus ita agriculturam, opificia et mercaturam sua habere commoda, suas habere partes in procreandis et augendis divitiis, litem autem, quae agitata est inter oeconomiae politicae scriptores, quorum alii profiterentur, agriculturam magis aptam esse ad divitias procreandas, dum alii contenderent, opificia et mercaturam magis valere ad adsequendum illud propositum, nos ita, si liceret, dijudicaremus, ut statueremus, facile dici non posse, quaenam earum maxime valeat ad divitias augendas: supra enim animadvertimus, vario loco variam esse naturam soli, climatis, variam hominum esse indolem; idem jam nunc animadvertendum est: pro hac enim diversitate regionum et nationum magis apta videntur ad divitias procreandas vel agricultura, vel opificia, vel mercatura: ita in Francia, Polonia, Russia et alibi agricultura maxime contribuit ad divitias augendas; in Anglia autem opificia et mercatura vigent eundemque habuerunt effectum, quem agricultura in Francia: unum est, quod maxime hanc meam sententiam confirmat: scilicet, quod animadvertit Ganilh (1), dicens: «*Ce qu'il y*

(1) Ol. I. p. 127 sqq.

a de singulier dans cette controverse, c'est que presque tous les écrivains ont regardé comme le plus productif le travail préféré dans leur pays.» Hoc autem secundum meam opinionem minime mirum; homines enim semper illud optime percipiunt, quod oculis possunt intueri: jam ejus laboris, qui in cujusque regione prae ceteris ururpabatur, quique igitur prae ceteris etiam inserviebat ad ejus regionis divitias augendas, effectus quisque scriptor in sua regione habebat ante oculos: mirum itaque nullo modo videri potest, quemque praetulisse laborem, quo socii ejusdem civitatis, cujus erat ipse scriptor, praecipue uterentur. Ex hac autem animadversione simul sequitur verum esse, quod jam protuli, nempe, diversitate naturae climatis, soli, indolis hominum, agriculturam, opificia et mercaturam varie habere etiam vim et efficacitatem in divitiis procreandis.

Postquam ita exposuimus, quid nobis videatur de facultate laboris in agriculturam, opificia et mercaturam collati ad procreandas et augendas divitias, restat, ut videamus, quem laborem maxime spectet ipsa nostra quaestio. Varias jam ob causas dicere non dubitamus, eam praecipuo loco opificia spectare tum etiam mercaturam, nec non aliquatenus agriculturam.

Potest fieri ut rerum e terra petitarum certa species in aliquo loco abundet (1): terra autem maxime nobis praebet alimenta et materias primarias (*matières premières*) ex quibus homines sibi vestimenta, habitationes etc. conficiunt. Jam vero quod ad alimenta attinet, horum non facile obtinebit nimia abundantia, quo-

(1) Cf. Ricardo, *des Princip. de l'écon. pol. et de l'impôt,* traduit par F. S. Constancio, Paris 1819. II. c. 21.

niam, quo majore copia haec adsunt, statim eadem fere ratione increscit populi numerus, imo experientia docet, numerum civium vulgo potius tendere ad excedendum alimentorum, quae proferuntur, quantitatem, quam ut haec numerum populi excedat; ita patet horum numquam fere posse adesse nimiam quantitatem; praeterea alimenta hoc habent commune cum ceteris omnibus, quae ipsa profert terra, quod nempe in labore in terram collato media, quibus labor valde augetur et acceleratur, non ita facile neque eodem gradu possunt adhiberi. Terra ipsa videtur comparari posse magna cum machina, cujus vires ad certum tantum gradum usque augeri possunt, earum limites vero hominum voluntas et industria extendere nequit: possunt aliquando divisio laboris et machinae introduci in terra excolenda, sed non tales, qualibus jam homines utantur in opificiis et mercatura agenda. Ipsa igitur terra ad hoc tempus usque impedivit, ne facile nimia ex ea exoriri possit abundantia rerum, ita ut vendi non possent. Contra si opificia et mercaturam consideramus, haec valde profecerunt ab eo inde tempore, quo majore libertate frui inceperunt opifices et mercatores, quo divisio laboris est adhibita et machinae in opificiis magis magisque sunt perfectae, et quo forum, propter invalescens systema libertatis, magis magisque factum est vere universale: haec omnia, uti vidimus, adeo auxerunt quantitatem rerum confectarum, ut tota quantitas aliquando cum lucro vendi non posse videretur: hoc autem ipsum, quod sic ansam praebuit ad quaestionem nostram agitandam, accidit praesertim circa opificia et mercaturam, et ex iis, quae diximus, facile, ni fallor, efficient

omnes: quaestionem nostram, si referri debeat ad agriculturam, saltem ad eam pertinere, nisi pro minima parte, eam autem quam maxime spectare opificia et mercaturam. De opificiis satis jam liquet, cum jam enarraverimus, quomodo opportunitate majoris usus machinarum adducti sint homines ad ipsam nostram quaestionem agitandam; restat itaque, ut dicamus praeterea paucis de mercatura, ratione habita argumenti nostri. Vidimus supra jam, quomodo mercatura concurrat ad divitias augendas; hodie autem cum forum multo magis factum est universale, saepius obtinet, ut ii, qui mercaturae vacant, inter se concurrant et in unum alterumve locum transferant et ad vendendum offerant res confectas tanta quantitate, ut revera haec rerum species, hoc in loco, eo tempore, excedat necessitates et facultates emendi ejus regionis incolarum, in quam merces transvectae sunt: tunc autem revera obtinet, ut res vel vendi nequeant, vel vendantur cum damno, quod patiuntur ita ii ipsi, qui mercaturam agere iis in regionibus sibi proposuerant, vel etiam si damnum hoc subire nolunt, coguntur merces rursus transvehere in alium locum, ubi iterum eas sunt oblaturi, ut eas vendere possint.

Ni fallor, hisce monitis, satis accurate potest effici, quis nostrae quaestionis sit ambitus et quaenam videantur consideranda, ut de ejusmodi rerum conditione, de qua jam sermo est, judicium ferri possit, quod veritati aliquomodo saltem sit congruum.

CAPUT II.

VARIAE SENTENTIAE DE NOSTRO ARGUMENTO.

Postquam Capite praecedenti generaliter de nostra quaestione vidimus, et aliquomodo ejus historiam enarrare conati sumus, nec non vires intendimus ad ejus cognoscendum ambitum, jam, hoc Capite, nobis proposuimus varias referre sententias et opiniones praecipuorum scriptorum, qui de nostra egerunt quaestione. Supra, quum loqueremur de ambitu quaestionis, vidimus, scriptores oeconomico-politicos alios, quum de ea agerent, provocasse ad ipsam rerum novarum confectionem, alios ad earum distributionem, alios ad earum consumtionem: dum alii quoque contenderent causas accedentes magis attendendas esse: jam itaque argumenti naturae optime conveniens et perspicuitati maxime utile putamus, si in hoc Capite tractando eum servamus ordinem, ut primo dicamus de iis, quae favent rerum novarum confectioni, secundo loquamur de rerum distributione, tertio recenseamus sententias, quibus de consumtione disseritur, dum hîc et illic ceteras

causas a scriptoribus allatas in medium afferemus et generaliter singulorum proponemus de nostra quaestione doctrinam. Quod ad sententias et opiniones auctorum autem attinet, animadvertendum etiam est, eos omnes hoc agnoscere: posse fieri, ut nimium conficiatur mercium, sed differunt quam maxime in eo, 1°. quod alii dicant, omnium rerum simul nimiam posse confici copiam: dum alii contendant, tantum alicujus speciei nimiam posse confici quantitatem; 2°. differant maxime in exhibendis causis, quibus illud factum tribuerent, de iis proferentes doctrinas aliquando plane sibi contrarias, uti ex sequentibus, ni fallor, plenius patebit.

§ 1. *De iis, qui putant sortes nimium increscere et nimiam posse adhiberi parsimoniam.*

Omnes, qui de hoc argumento scripserunt oeconomiae politicae auctores pariter agnoverunt per parsimoniam praesertim augeri sortes. Omnes, qui mihi sunt noti, negare non potuerunt, per sortium incrementum praesertim augeri posse maxime divitias nationum: sed differunt eorum sententiae hac in re, quod alii contenderent, non metuendum esse nobis a nimio incremento sortium, quoniam longe abest, ut hae attigerint summum fastigium, ad quod utiliter admodum adduci possint; (hi itaque monent, sortes semper esse augendas, ut eo magis saluti communi hominum prospiciatur): alii contra pro certo habebant, sortes ultra certum modum augendas non esse, quoniam nimium earum incrementum noxium habendum est; imo fateri non dubitarunt, inter alias causas, sortium incrementa,

quae illum modum excederent, posse efficere, ut res omnes confectae vendi non possint et sic causae exsistant calamitatum omnium, quae ex tristi ejusmodi conditione oriuntur. Hanc sententiam maxime protulerunt Sismondi et Malthus.

Proponit Sismondi, hac de re agens, hanc doctrinam hoc modo: «Si natio quaedam revera florere dici potest, opus est, ut quisque per laborem adhibitum non solum sibi comparare id possit, quo absolute indigeat, sed etiam vitae voluptates quasdam: hinc sequi videtur, nationem tunc demum gaudere prosperitate, quando sors, quae quotidie adhibetur, (*capital circulant*) sufficit ad adhibendum omnem laborem, qui vere sit utilis. Quando sortes sunt minores quam par est, difficulter inde exsistet miseria, cum pars populi, quam sors illa alitura fuisset, nondum adest: sors ita non sufficiens reditum praebet relative majorem, quam si nihil desideratur porro, parsimoniam ea reddit faciliorem, quam excitat etiam, ostendens finem, ad quem adhiberi possunt parsimoniae fructus; sic ad educandos liberos excitat, quum in antecessum promittat incrementum sortium, quae illis aliquando facultatem operam praestandi sunt praebiturae; aliud autem obtinet, si sortes, quae jam adfuerunt, sunt dilapidatae; tunc enim haec dilapidatio privat opifices, ad quos sustentandos adhibendae fuissent, reditu ex labore quaerendo, et sic fami et miseriae exponuntur (1).

Jam vero, si sortes sunt majores, quam opus est, homines, contendentes inter se de collocatione sortium,

(1) Cf. Rau, *Malthus und Say über die Ursachen der jetzigen Handelstockung, mit einem Anhange.* Hamburg. 1821. p. 266 sqq.

contenti erunt lucro minore: reditus igitur eorum, qui sortes possident, decrescunt, et diminuuntur ita modi, quibus necessitati et voluptatibus suis prospicere possint. Ita etiam moderantur laborem suum non secundum gradum quo eo indiget societas, sed secundum sortes suas; ita majore sorte instructi *conficiunt res majore numero, quam ut consumi possint*, et sunt contenti minore lucro; cujus rei effectus est, ut minoribus gaudere possint voluptatibus. Ita autem magnae sortes requirentes laborem majorem, effecerunt, ut populi numerus incresceret, quum promiserint patribusfamilias laborem a liberis in futurum conficiendum; hunc laborem autem ipsis postea praebere nequeunt, quum numerus hominum major est factus, quam sortes sinunt. Ita salarium diminuitur opificum, hi minorem percipiunt reditum et prosperitate non fruuntur. Parsimonia, per quam sortes accumulantur et novae creantur divitiae, non semper ita affert beneficium, cum desint modi utiliter collocandi sortes, quae parsimoniâ sunt reservatae: quamdiu itaque natio progredi et se in omnes partes excolere potest, tamdiu sortes utiliter possunt augeri, et parsimonia adhibita beneficia afferet generationi futurae; si vero natio quaedam finem a natura statutum attigit, progressus amplius facere nequit, desistere debet a parsimonia adhibenda et a sortium augendarum consiliis» (1).

Uti Sismondi, sic etiam contendit Malthus, per accumulationem sortes posse fieri nimias; ex hac abundantia nimia etiam repetit, quod res omnes vendi

---

(1) Vid. Sismondi, *nouv. pr.*, I. 316 sqq.

nequeunt, ita ut desit merces vendendi opportunitas et nimio numero merces vendendae offerantur, (*engorgement du marché*); censet hanc vendendi difficultatem esse generalem et omnium rerum, quae in forum afferuntur, ut vendantur. Alias autem MALTHUS profert rationes: scilicet agnoscit (1), per parsimoniam et sortium incrementa media augeri, quibus opifices, qui adhibentur ad nova conficienda (*travail pruductif*); vitam possint sustentare, et certum est, opifices ita adhibitos res utendo consumere aeque ac illos, qui adhibentur in labore, ex quo novae merces non proveniunt (*Ouvriers improductifs*); quod ad illos igitur attinet, diminutio consumtionis non adest et merces eodem, quo antea, ardore expeti pergunt. Sed secundum ejus sententiam consumtio et voluntas juncta facultati res confectas emendi, quibus locum dederunt homines adhibiti in labore, qui novas res procreat, stimulum sufficientem admovere nequeunt incremento et collocationi sortium (2). Ii enim, qui sortes possident easque adhibent, propter parsimoniam minus consumserunt, ut sorti partem redituum adjicerent: quomodo, ita pergit, jam nunc fieri potest, ut quantitas rerum confectarum, aucta per numerum majorem opificum, qui novas res procreant, possit vendi sine diminutione pretii? atqui haec diminutio efficiet, ut impensae non restituantur, vel saltem media et voluntas parsimoniam adhibendi multum diminuantur: hoc ita se habet, quia maxima pars rerum confectarum permutatur cum labore, sive res novas procreante sive

(1) *Princ. d'écon. pol., tr. par* CONSTANCIO, Par. 1820. T. II. p. 24 sqq.
(2) MALTHUS, *Princ. d'écon. pol.,* II. p. 16 sqq.

eas non procreante, aut saltem cum iis, quae ex eo labore prognata sunt: jam patet, pretium rerum confectarum decrescere posse per earum abundantiam, si comparatur cum labore, quocum permutari debet: jam cum per accumulationem sortium augeatur numerus opificum, qui adhibentur in labore, qui novas res procreat, cum ita quantitas extraordinaria omnium quarumcunque mercium adsit in foro, dum numerus totus opificum est idem et diminuta sunt media et voluntas consumendi, necesse est ut valor rerum diminuatur, ita ut lucrum fere nullum afferant, et sic adest merces vendendi gravissimum impedimentum idque non pro parte sed generale.

Malthusii doctrina jam eo redit, ut contendat, sortium accumulationem revera posse esse utilem, si societas ea indigeat (1), sed nullam nationem posse fieri divitem per accumulationem sortium, quae ex continua consumtionis diminutione provenit, quoniam talis accumulatio eum sit longe major, quam necessaria est ad efficiendum, ut impensae restituantur et idoneum lucrum accedat (2); pars hujus accumulationis amittit utilitatem et valorem (3): imo contendere non dubitat (4): «*Tout en convenant, qu'il existe à peine un seul pays dans les quatre parties du monde, dans lequel il n'y ait manque de capital et que dans la plupart des pays*

(1) Vid. Malthus, *Princ. d'écon. pol.*, II. p. 52, coll. 51.

(2) Quod Malthus, dicit *une demande effective*, de qua dicit T. II. p. 57. o. l.: «*c'est-à-dire une demande faite par ceux, qui ont les moyens et la volonté d'en donner un prix suffisant.*» Cf. Rau, *Malthus und Say*, p. 227 sqq.

(3) Cf. Malthus, *Princ. d'éc. pol.*, II. p 218.

(4) Vid. Malthus, o. l. II. p. 56.

ce manque est très grand par rapport au territoire et même à la population; et en convenant en même temps, qu'il serait extrèmement désirable, qu'il y eût un accroissement de capital, je soutiendrai malgré tout cela que, là où la demande de produits ne serait pas suffisante pour donner des profits raisonnables aux producteurs, et où les capitalistes ne sauraient ni à quoi, ni comment employer leurs capitaux avec avantage, dans ces pays, dis-je, économiser sur le revenu pour ajouter encore davantage aux capitaux, n'aurait d'autre effet que d'affaiblir avant le temps le motif pour accumuler, en augmentant encore la détresse des capitalistes, avec bien peu d'accroissement d'un capital utile et effectif.»

Sed a doctrinis sic a SISMONDIO et MALTHUSIO propositis, longe aliena est doctrina, ab aliis propugnata, qui hac maxime in re ab illis discedunt, quod contendant, sortium incrementa semper fere prodesse, saltem a nimiis sortis incrementis homines nihil habere, quod sibi metuant; fuerunt inprimis RICARDO, MAC-CULLOCH, SAY, MURHARD, RAU aliique etiam, qui hanc protulerunt doctrinam, quam jam latius exponamus.

§ 2. *De iis, qui sortes nimium increscere et parsimoniam nimiam esse vix posse censent.*

RICARDO (1) cum aliis putat, non esse sortem tam

(1) RICARDO, *Princ. d'éc. pol. et de l'impôt.*, T. II. p. 105 sqq. J. B. SAY, *Cours Compl. d'éc. pol. prat.*, T. I. p. 302 sqq. MURHARD, *Theor. und Pol. des Hand.*, II. p. 432 sq.

magnam, quin adhiberi possit, ideo, quoniam utilitas et cupido rerum confectarum in aliqua civitate non limitatur, nisi per ipsam earum confectionem: nemo enim res conficit, ita se habet RICARDII doctrina, nisi proposito eas consumendi vel vendendi, et nemo res vendit, nisi ut aliquid emere possit, quod vel ei praebet utilitatem, vel valere possit ad confectionem rerum futuram. Ita aut confector ipse res consumit, quas confecit, aut emit res, quas consumat, quas alii confecerunt. Existimandum itaque non est, eum diu versari in errore de eo, quid ipsi maxime sit lucrosum ad propositum adsequendum suum; nam si videt se res conficere quibus ipse non indiget et quos aliis vendere non potest, statim ab earum mercium confectione desistet. Non igitur in civitate quadam sors adesse potest cujusdam etiam magnitudinis, quae cum lucro adhiberi non possit (*productivement*) (1), usque ad illud tempus, quo salaria eum in modum accreverint propter majus pretium rerum necessariarum, ut non nisi minima pars relinqueretur, ex qua lucrum sive

---

(1) O. l. T. I. p. 26, enim dicit RICARDO: «*Il serait toujours vrai de dire que la valeur échangeable des objets produits est proportionnée au travail employé à leur production; non pas seulement à leur production immédiate, mais de plus à la fabrication des instruments et machines nécessaires à l'industrie, qui les produit;*» licet tunc usurae sint majores vel minores vel salaria majori vel minori constent pretio, effectum semper eundem putat, profitens: «*Cette division d'intérêts ne saurait affecter la valeur réelle des produits.*» Quoniam salaria possunt constare majori pretio, lucra sortium eo casu diminuantur necesse est, per consequentiam, ratione majore vel minore, quum tamen ideo non mutetur valor relativus certarum mercium o. l. t. I. ch. I. *de la valeur*, praecipue p. 35 sqq.

usuram obtineant sortium domini. Nam si eo res deveniret, cessaret causa, propter quam augendam esse sortem quis existimet. Quod si accumulatur sors, pars accumulata usurpatur vel eo modo, ut ad novam rerum confcetionem eam adhibeat ipse dominus, vel ut aliis eam locet eundem in finem (1) (2). Ita semper increscet ejus utilitas; haec vero directa erit varia in objecta; si enim ille, qui novam sibi comparavit sortem, consumtionem, qua res plane pereunt, auget, pecuniam adhibebit ita, ut praebeat sibi aliquid jucunditatis gratia; si vero pecuniam adhibet ita, ut novae inde oriantur res confectae (3) consumet plura alimenta et objecta, quae inserviunt ad vestiendum, consumet etiam complures materias primarias, quae omnia ducunt ad novos adhibendos opifices. Semper ita merces expetent alii (*demande*), augentur ita modi collocandi sortes simul cum earum incremento.

Res confectae non nisi rebus confectis emuntur:

---

(1) Vid. Ricardo, *Principes* etc., T. II. p. 108 sqq.

(2) Cf. Say, *Cours Compl.*, I. p. 202: «*Lorsque celui, qui a fait l'accumulation n'a pas les moyens d'en diriger lui-même l'emploi, il prète son capital à un entrepreneur, qui le fait valoir et qui en partage avec lui les profits. L'effet est le même quant à l'industrie.*»

(3) Suffragatur Ricardo doctrinae de hoc argumento prolatae a Viro Celeb. Sayo qui inquit, *Cours Compl.*, I. p. 194 sqq.: «*Il n'y a pas moins de dépenses faites dans une ville industrieuse où l'on épargne beaucoup, que dans une résidence royale, où l'on dissipe énormément; mais les dépenses sont autres. Un peuple économe et accumulateur dépense tous ses revenus; mais il ne les consacre pas aux mêmes objets que celui, qui mange tous ses revenus; et comme les objets les plus demandés sont ceux, qui se vendent le mieux et récompensent le plus libéralement les services productifs, on voit la production se diriger alors vers les produits qui sont propres à la consommation reproductive.*»

pecunia tantum est intermedia quaedam merx, cujus ope fit permutatio. Hujus autem illiusve speciei rerum confici potest nimia copia, quae si in foro adest, res confectae sumtus non referent, quos earum exegit confectio. Haec autem nimia abundantia in omnibus rerum confectarum speciebus locum habere nequit. Cupiditas enim sibi comparandi res utiles et jucundas, quantum quis potest, homini est innata, media tantum exquirit, eaque media homini nihil praebere potest nisi confectionis earum rerum incrementum (1).

Incrementum vel diminutio lucri, quae forent effectus auctae et confectionis et cupiditatis rerum acquirendarum, qua feruntur homines, per consequentiam pendet tantum a salariis et haec pendent a facultate alimenta praebendi et res necessarias opifici: nihil enim certius est, quam principium illud, numerum opificum eo tendere semper ut congruus sit mediis, quibus se sustentare illi possint (2). Unus tantum adest casus, isque tantum ad tempus breve, quo accumulatio sortis, quam concomitatur exiguum alimentorum pretium, diminutionem lucri afferre potest; nempe si pars sortis, destinata ad opifices sustentandos, citius accrescit, quam civium numerus: hoc casu salaria erunt magna et lucra parva. Si quisque renuntiaret usui rerum, quae luxui inserviunt, et solam cogitaret accumulationem, quantitas adesse posset rerum necessariarum,

(1) Cf. Mac-Culloch, *Princip.*, p. 179, coll. p. 190 sq.

(2) Vid. Ricardo, *Princ. d'éc. pol.*, T. II. p. 110 sq. Aliam sententiam videtur fovere Sayus, *Cours Compl.*, T. III. p. 42, dicens: «*Ce sont les capitaux qui s'augmentent quand les richesses croissent, les capitaux deviennent donc alors plus offerts et leurs profits baissent.*»

quae immediate consumi non posset. Earum igitur sine dubio ad tempus adesse posset generalis nimia abundantia, et per consequentiam fieri posset, ut neque illud, quod nunc novum conficeretur, expeterent homines, neque lucrum sperandum esset per collocationem novae sortis; si homines a consumendo se abstinerent, cessaret sic et confectio: haec autem concessio non contraria est principio generali supra tradito.

Explicite quoque de hoc argumento nostro pronunciat ADAMUS SMITH: «*La nature a donc nécessairement limité la somme des capitaux qui peut, à une époque quelconque, être employée avec profit à l'agriculture, mais elle n'a point posé des limites à la somme de capital, qui peut être consacrée à nous procurer les choses commodes pour la vie et propres à l'embellir.*» Longius jam progreditur RICARDO, verba ADAMI SMITHII ante oculos habens: «*tant qu'il n'y a point de limites au désir de posséder des choses commodes, des objets pour l'ornement des édifices, de l'habillement, des équipages et de l'ameublement, il ne saurait y avoir d'autres limites aux capitaux, qui peuvent être employés pour nous procurer ces objets, que celles, qui bornent notre faculté de fournir la subsistance des ouvriers, qui doivent les produire*» (1).

Eum secutus est MAC-CULLOCHIUS, qui RICARDIO in multis etiam aliis argumentis adsentitur; utilitatem sortium profitetur dicendo, eas efficere, 1°. ut divisio laboris possit adhiberi, 2°. ut per sortes ea nos conficere possimus, quae alioquin conficere non possemus, 3°. quod per eas labori

(1) Vid. RICARDO, *Princ.*, T. II. p. 112 sqq.

parcimus fere in unaquaque mercium specie, 4°. quod per eas labor multo citius et melius possit confici (1). Secundum ejus opinionem populi prosperitas pendet ab incremento vel diminutione sortium; cum enim sors alicujus populi accrescit, ita ut simul non item increscat civium numerus, majorem partem hujusmodi auctae sortis habebit quisque privatus; contra si numerus populi accrescit magis quam sors, minorem ejus incrementi partem quisque habebit: semper itaque populi tendere debent ad sortes sive divitias suas augendas, cum hae moderentur numerum populi ejusque industriam (2). Jam cum per incrementum sortis adhiberi possint machinae et divisio laboris, cum hae efficere nequeant *ut conficiatur nimium* (alio loco apparebit talem esse sententiam hujus auctoris; vid. § 4), sequitur sortes nimium augeri non posse. Praeterea spes lucri efficit, ut sortium pars relinquatur aliis regionibus; si enim sortium domini pro certo habere possunt, sortes suas satis secure in aliis civitatibus et satis magno cum lucro adhiberi posse, profecto sortis majore vel minore quantitate collocatio in iis regionibus locum habebit (3).

Eandem fere etiam propugnat doctrinam vir clarissimus Ravius. Dicit nempe hic: incrementum sortis ad plura conficienda ducere (4); incrementum sortis parsimonia niti, si autem, quibus parcitum est, ho-

---

(1) Vid. Mac-Culloch, *Princ. of pol. écon.*, p. 99 sqq.

(2) Vid. Mac-Culloch, *Princ.*, p. 378 sqq.

(3) Vid. Mac-Culloch, *Princ.*, p. 493.

(4) Vid. Rau, in opere *Lehrb. der pol. Oek.*, Heidelb. 1826. T. I. § 133. nota B. coll. I. § 52. Cf. K. Murhard, *Theorie und Politik des Handels*, Gött. 1831. T. I. p. 138 sqq.

mines non utuntur, proprie haec ad sortem pertinere aut ad ejus incrementum inserviisse negat (1). Sed ubi perfecta jurium est securitas, generaliter iis, quibus parcitum est, homines uti solent; et tunc demum parsimonia erit inutilis, cum in ipsa regione, ubi sors increscit, adhiberi cum emolumento nequit, neque alii nationi locari ea possit: unum alterumve autem fieri semper poterit; quocirca indistincte affirmandum est, sortis incrementum utiliter denuo adhiberi posse. Si vero sors in aliqua regione ipsa recte adhiberi nequit, hoc factum secundum Ravii opinionem saepe est sequela malorum institutorum vel ignorantiae populi (2).

Inprimis etiam eidem favet sententiae, excessum incrementi sortium non esse metuendum, Murhard (3). Affirmat ille, sortes non ea celeritate posse accrescere, qua rerum conversio subito exsistere possit in opificiis; contendit, certos adesse limites, quos excedere homines operae pretium non ducunt, quum propter valde exiguum lucrum novam colligere sortêm eamque adhibere detrectent. Salutiferam maxime profitetur esse vim incrementi sortium in regione aliqua, in ambitum et florem ejus mercaturae, propter diminutionem usurarum, quae eam sequitur, eademque ratione mercaturam se extendere debere contendit, quae nititur ipsa permutatione rerum confectarum; exiguae enim usurae favent mercaturae et incitant ad confectionem rerum novarum. Ultimos vero limites parsimoniae utilis quae-

(1) Cf. *Resultate des Machinenwesens* etc., p. 168 sqq.

(2) Vid. Rau, *Lehrb.*, I. § 134, la. A. coll. T. I. p. 233. n°. 2, et I. § 231. n°. 2, la. C.

(3) Murhard, *Th. und Pol.*, I. p. 140.

rendos esse dicit, in perfectione quam maxima agriculturae totius terrae, et industriae omnium in ea hominum habitantium; quos limites tamen post saecula demum homines attingent (1).

Valde etiam huic favet doctrinae vir celeb. J. B. Say. Vidimus Ricardium eum maxime esse secutum: parsimoniam valde commendat (2). Quantopere autem parsimoniae et accumulationi faveat, optime videri potest ex verbis Adami Smithii, quae laudat (3). «*Tout prodigue est un ennemi public et tout homme économe doit être regardé comme un bienfaiteur de la société.*» Parum autem est, quod hoc loco de ejus doctrina moneamus porro, ea enim jam nota est ex locis laudatis, quae hîc et illîc subjecimus, hoc itaque ejus dictum sufficiat: «*C'est la somme des valeurs épargnées et capitalisées, qui fait la différence entre une nation riche et une autre qui ne l'est pas. Sans doute son territoire, sa population font aussi partie de ses richesses; mais son territoire ne vaut que par les capitaux, qui s'y trouvent repandus; et quant à sa population, celle-là seule est une richesse où chaque personne peut tout au moins gagner sa vie. Or, cette population-là, résultat des avances successivement faites pour la mettre à ce point, est elle-même un capital accumulé. Les richesses des nations se réduisent donc à des capitaux, et les capitaux ne s'acquièrent que par l'épargne*» (4).

---

(1) Murhard, *Th. und Pol.* etc., T. I. p. 142 sqq.
(2) Say, *Cours Compl.*, I^e. partie chap. 14.
(3) Say, *Cours Compl.*, T. I. p. 203.
(4) Say, *Cours Compl.*, T. I. p. 205.

§ 3. *De iis, qui putant divisionem laboris et machinas publice posse nocere.*

Certe his §§ tradituri sumus opiniones scriptorum de argumento, de quo quam maxime differunt; quid mirum autem homines tantopere dissentire de divisione laboris et machinis! Constituunt enim ea ipsa media, quibus quam maxime facultates hominum res novas conficiendi sunt auctae; cum itaque casus adesset, quo res non omnes vendi possent, quid dictu erat facilius quam: per majorem divisionem laboris, per machinas longe plura iam conficiuntur, quam olim; nimium hodie est confectum, itaque divisio laboris et machinae sunt improbandae, quoniam per eas nationes afficiuntur calamitatibus ex nimia confectione orientibus. Ita loquebantur nonnulli, nihil respicientes nisi quae ipsis viderentur esse illius conditionis incommoda. Alii autem rem ulterius pervestigantes et laboris distributionem et machinas maximis ornarunt laudibus, existimantes, eas valde facere ad perfectionem industriae et mercaturae, et generaliter per eas consuli quam maxime saluti et felicitati omnium. In his autem fuerunt etiam, qui non nisi earum commoda notarent, incommoda non attendentes; alii autem rectius commoda agnoverunt, dum tamen earum incommoda non praetermitterent.

Sed his praemissis iam videamus de iis, qui putant, laboris divisionem et machinas nocere posse.

Divisionem laboris et machinarum usum repetunt illi omnes ex accumulatione sortium, cum divisio laboris requirat majorem sortem quotidie adhibendam ad solvenda salaria pluribus opificibus, et machinae exi-

gant sumtus magnos. Conveniunt etiam hac in re, quod rerum confectarum multum diminuatur pretium et augeatur multum earum copia per sortis incrementum, laboris divisionem atque machinarum usum, quia per utrumque genus laborem adhibendi multo plures, multo citius res conficiantur et minoribus sumtibus, quo fit ut, crescente earum abundantia, eorum, qui illas vendant, numerus increscat, ita ut res suas minimo pretio etiam vendere conentur.

Porro per laboris divisionem et machinas multum diminuuntur sumtus ad rerum confectionem necessarii: itaque quoniam sumtus constituunt rerum pretium vel saltem magnam in illud vim habent, illud diminui debet, si sumtus non amplius aeque magni requiruntur atque antea (1).

De effectu autem, quem habuerunt facultas ita aucta conficiendi merces, et diminutio pretii rerum confectarum in prosperitatem publicam, varie judicatum est.

Maxime in usum machinarum invectus est Sismondius, hasce afferens rationes:

Per divisionem laboris et usum machinarum infinite augentur hominum facultates, quae spectant industriam, attamen eae tunc demum lucrum afferent, si incrementum confectionis rerum novarum concomitatur voluntas ho-

---

(1) Vid. ad h. l. Sismondi, *Nouv. pr.*, I. p. 394 sqq. coll. I. p. 70 sqq. Malthus, *Princ. d'éc. pol*, II. p. 102 sqq. Rau, *Lehrb.*, I. § 117 sqq. I. § 396 sqq. § 401. Mac-Culloch, *Princ. of pol. econ.*, p. 181 sqq. coll. p. 91 sqq. Say, *Cours Compl.*, I. p. 206 sqq. et p. 229 sqq. Ricardo, *des princ. de l'écon. pol. et de l'impôt.*, I. p. 45 sqq. Murhard, *Theorie und Pol. des Hand.*, I. p. 118. G. von Gülich, *Ueber die gegenw. Lage des engl. und deutsch. Handels.* etc., Gött. 1834. p. 12, p. 15 sq. et 62 sqq.

minum una cum facultate emendi res illas novas confectas; nam tunc solum opifices accipient idem salarium, eadem sortium dominis solvetur usura, idemque lucrum percipiet ille, qui negotium suscepit. Optandum est itaque, ut novus adsit reditus, qui excitet novum laborem, sic enim venditio rerum confectarum demum habebitur universalis (1). Quisque autem regit laborem suum secundum sortes, de quibus disponere potest, minime secundum modum, quo res novae appetuntur ab aliis. Quisque jam cupit vendere res, quas confecit, et venditionem illam extendere, reditum vero nationalem et usum rerum ipsarum majores facere nequit: operam igitur adhibet, ut parcat labori vel materiebus, ut viliori pretio vendere possit, quam ceteri; tunc plura ipse vendet, ceteri idem facere conabuntur et partem opificum domum remittent, pro modo, quo per machinas aucta est facultas res novas conficiendi. Reditus opificum, qui domum remissi sunt, cessant, ideoque etiam eorum consumtio; pars sortium veterum est deperdita una cum earum reditu; magnus eorum, qui res vendere cupiunt, numerus efficiet, ut lucrum e mercatura percipiendum majus non sit futurum, quam antea. Ita ii, qui utendo res consumunt soli aliquid lucrati erunt, quod tamen lucrum nullo modo comparari potest cum diminutione facultatis labores praestandi, quae lucro causam dedit. Effectus itaque inventionis, per quam labori suo homines pepercerunt, si natio est sine mercatura externa et si consumtio ejus non augetur, consistit in damno omnium et diminutione

(1) Cf. Sismondi, *Nouv. pr.*, II. p. 19 sqq.

reditus nationis, quae consumtionem etiam anni futuri reddit minorem, et si solus inventor inventione sua gaudet, et ceteri eam ignorant, lucrabitur solus reditus, quos olim juncti percipiebant illi, qui tunc eidem industriae generi operam dabant, excepta ea parte, quam ii, qui utendo res consumunt sibi jam comparant ex pretio diminuto.

Hucusque omnis fere machinae inventio damnum populo attulit et lucrum speratum inventionis fere omne ad mercaturam externam pertinet: ii, qui in diversis regionibus res novas conficiunt, se invicem excludere conati sunt, vendendo res suas pretio viliori, et si in aliqua civitate nova exsistit inventio, qua magnis denuo sumtibus parcitur, illa civitas cito augeri videbit numerum eorum, qui utendo res consumunt, et ii, qui res novas conficiunt, quique alia in civitate degunt in miseriam adducuntur: hodie vero inventiones factas cito imitantur alii, et sic facultas peregre merces vendendi rursus restringitur; ita consumtio generalis aucta non est, neque igitur confectio rerum novarum augeri potest. Tunc est gravis calamitas inventio machinae, cum nimio numero res conficiantur novae, cum ille, qui auctor est inventi, eo non utatur, ut opificibus consulat, sed ut pessumdet adversarios opifices. Sed quaeque nova inventio, uti objiciunt alii, ita pergit Sismondi, quae parcit labori, diminuit pretium rei confectae et per diminutionem pretii magis magisque venduntur res novae: venditor ita indirecte aliquid confert ad augendum numerum emtorum (1). Sed observat,

(1) Cf. Sismondi, *Nouv. pr.*, I. p. 351 sqq. et II. p. 316 sqq.

pauperem, si sibi proponit hanc illamve rem sibi comparare, solum illud perficere per parsimoniam, itaque eum uni adimere, ut alii dare possit, hinc sequitur esse sophisma propositam sententiam: «diminuendo impensas ad res conficiendas necessarias, mercem confectam fieri idoneam, quam etiam pauperes sibi comparent, atque ita consumtionem ejus rei augeri.»

Sententia Sismondii eo jam redit, ut dicat: semper reditum novum praecedere debere novam rerum confectionem; hoc si obtinet, copia rerum novarum numquam erit nimia; statim enim ac confectae sunt res, etiam vendentur, cum jam adsit pretium, quo emantur, ante earum confectionem. Sed si increverint antea jam, aut si reditus novam rerum confectionem non sexerint, divisio laboris et machinae fiunt causae, quod res novae omnes vendi non possint, et sic exsistunt causae ruinae non vero prosperitatis populorum (1).»

Paulo aliter de hoc argumento censet Malthus; dicit nempe: «inventiones, quibus labori parcitur, qui manu est conficiendus, augent facultatem res novas conficiendi: sed homines ea uti nequeunt, nisi simul augeatur merces vendendi facultas, quae illi conveniat (2). Vulgaris effectus inventionis machinae est, quod augeantur voluntas et facultas res novas emendi, propter earum pretii diminutionem, ita ut valor totius quantitatis rerum per novas machinas confectarum, multo

(1) Sismondi, I, 362 sqq. II. 410 sqq. et alibi passim, cf. etiam G. von Gülich, *Ueber die gegenwartige Lage des engl. und des deutsch. Handels,* etc. Götting. 1834. p. 75 sqq. coll. p. 96 sqq. qui Sismondium in multis est secutus.

(2) Vid. Malthus, *Princ. d'econ. pol.,* II. p. 102 sqq.

superet valorem rerum antea confectarum et ut requirantur homines multo majore numero ad laborem perficiendum, quam antea (1). Si talem effectum machinae habent, tendunt quam maxime ad divitias nationum augendas. Quodsi eae adhibentur in confectionem rerum, quarum usus, propter pretium diminutum, augeri nequit, effectus machinarum potest etiam esse talis, ut lucrum inde percipiatur; hujus autem efficacia tunc pendet a rebus et causis, quae accedunt: uti v. c. 1. *a facilitate, qua sortium pars e veteri usu et collocatione possit retrahi et statim invenire novum aeque lucrosum usum*, quod vero vulgo non obtinet nisi cum damno satis magno; 2°. pendet a *majori minorive hominum voluntate et facultate res novas confectas emendi*. Si vero venditio frequentior facta non est, neque sortes alibi adhiberi possunt et increscunt media res novas conficiendi, valde est metuendum, ne diminuantur cum industria, tum modus, quo homines utendo res consumunt et valor permutationis, quod sine dubio locum haberet, si vile pretium rerum indigenarum, profectum ex usu machinarum, ansam daret majori parsimoniae potius, quam majori consumtioni, tunc enim effectus usûs machinarum foret, ut sortes et homines multi adhiberi non possint.

Facilitas autem res novas conficiendi maxime tendit ad venditionem mercium frequentiorem reddendam, sive in ipsa civitate, ubi res ipsae conficiuntur sive alibi; ita machinae quam maxime tendunt ad divitias augendas:

(1) Eundem effectum notavit anom. in opere: *Resultate des Machinenwesens namentlich in Bezug auf wohlfeile und vermehrte Beschäftigung*. Lübeck. 1833. c. 1. et p. 123 sq.

sed causae, quae rerum novarum confectioni maxime favent, incrementum sortis, fertilitas soli, et inventiones, quibus labori parcitur, qui manu est conficiendus, debent tamen considerari respectu habito appetitûs hominum res sibi habendi, nam incrementum continuum divitiarum haberi nequit, nisi augeantur voluntas hominum et facultas res novas emendi (1).»

§ 4. *De iis, qui indistincte favent laboris divisioni et machinis.*

Ulterius autem progressi sunt alii in aestimandis commodis machinarum. Inprimis eas consideraverunt Mac-Culloch et Say ratione habita nostrae quaestionis; videndum jam, quid hac de re sentiant.

Proponit itaque vir clar. J. B Say hujusmodi doctrinam de hoc argumento: «confectio consideranda est tanquam permutatio, in qua ii, qui res conficiunt praestant operas, quibus res conficiuntur novae (*services productifs*) vel earum valorem, et vicissim recipiunt res confectas. Haec permutatio est eo lucrosior, quo majore numero et pretio res confectas recipiunt pro eadem quantitate vel eodem valore operarum, quibus res conficiuntur novae (2). Usus operarum illarum recte adhibitus auget facultatem conficiendi (3). Divisio autem laboris eo se extendit, ut vendi possint res,

(1) Cf. Rau in opere *Malthus und Say, über die Ursachen der jetzigen Handelsstockung, mit einem Anhange von* Rau. Hamb. 1821. p. 199 sqq. et p. 253 sqq.

(2) Vid Say, *Cours Compl.*, T. I. p. 149 sqq.

(3) Say, *Cours Compl.*, I. p. 206 sqq.

quarum numerus per divisionem laboris est auctus (1). Pendet multum etiam a magnitudine sortium; ubi enim hae magnae non sunt, magna divisio laboris locum habere nequit (2). Effectus machinarum est, quod eadem rerum confectarum acquiratur copia per minorem numerum opificum et per sumtus leviores. Hoc est earum maximum commodum, quod tamen multis visum est valde dolendum, qui putant, malum non praebendi laborem iis, qui eo indigent, majus esse quam illud solvendi pretium majus pro rebus confectis (3); quod autem hi considerant tanquam leve quid, est idem illud, quod maxime obstat progressui societatis (4).

Sibi procurando res, quibus indiget, permutat homo laborem suum cum rebus confectis: quo minus laboris dat, eo lucrosior ei est permutatio: si jam res confectae nullos requirerent sumtus et acquiri eae possent pro nihilo, opifices non haberent, in quod laborem amplius adhiberent: labore vero etiam amplius non indigerent: jam omnis parsimonia laboris, qua tamen non attingatur propositum illud, est progressus, quo propius ad illud accedatur; prodest ea societati, quoniam magnus eorum, qui res vendendas offerunt, numerus non permittit, ut ii, qui res novas conficiunt, solutionem sumtuum sibi comparare possint, quos non impenderunt (5).

(1) Say, o. l. I. p. 215 sq.

(2) Say, o. l. I. 223, sqq. p. 341, 359. Cf. A. A. del Court, *Spec. de Nundinis*, p. 16 sqq.

(3) Ab hac sententia non alienus est Rau *Malthus und Say*, p. 148.

(4) Cf. Say, in *Revue Encycl.*, T. 23. p. 23. Say, *Cours Compl.*, I partie, chap. 9. Say, *Cours Compl.*, I. p. 330 sqq.

(5) Cf. etiam *Resultate*, etc. p. 38 sqq.

Objiciunt autem alii, ita pergit auctor: si propterea quod per aliquam machinam parcitur labori et sumtibus, ii, qui res utendo consumunt, parcant parti sortium et reditus, hi obtinebunt quod amiserunt ii, qui confectioni operam praestant, divitiae ita non augentur, sed alibi tantum collocantur. Animadvertendum autem dicit SAYUS: eos confectores et opifices, quorum labori parcitum est, eundem laborem alibi posse adhibere; et iidem illi, qui utendo res consumunt, qui parti sortium et reditûs pepercerunt, res ab illis, qui novo industriae generi se tradiderunt, confectas ement (1). Ita magis ad perfectionem adductus modus res conficiendi, permittit magno numero hominum, laborem adhibere in eas res, quarum usus, si magis est generalis, cultum et humanitatem majorem promovet (2). Jam copia rerum,

(1) De hoc SAYI argumento dicit RAU *Malthus und Say*, p. 249: «*Der von* SAY *ausgesprochene Grund — ist keineswegs durchgreifend.*»

(2) Vid. SAY, *Cours Compl.*, I. p. 232 sqq. cf. T. II. p. 42 sq. p. 336 sqq. p. 343 sqq. Sic de hoc argumento pronuntiat RAVIUS, *Lehrb.*, I. § 401, machinae valde augent rerum confectionem sine majoribus sumtibus: augetur ita reditus purus, 1° ipsorum eorum, qui rerum confectioni operam praestant, si rerum confectarum pretium non plane diminutum est usque ad modum impensorum sumtuum, 2° ipsorum emtorum, qui easdem res minore pretio sibi comparare possunt, et iis, quae nunc non erogarunt, uti possunt, sive ad res alias sibi comparandas, sive ad sortes ad opificia adhibendas, sive ad sibi praebenda plura alia commoda: patet ita, numerum non minorem civium ad operas adhiberi et populi majorem multitudinem victum ita sibi quaerere posse. Cf. *Resultate*, etc. p. 175. Minime adeo faverat machinis RAU in *Malthus und Say*, p. 246 sqq. ita v. c. inquit p. 250. «*Der Widerstreit der Meinungen wird am besten dadurch versöhnt werden, dass wir untersuchen, unter welchen Bedingungen die nachtheilige Wirkung arbeitsparender Maschinen zu besorgen sey.*»

quibus homines indigent, increscit eadem ratione, qua confectio rerum novarum progreditur, media acquirendi res confectas augentur eadem ratione, qua res novae numero accrescunt (1). Res confectae ab uno ei praebent facultatem emendi eas, quas alius confecit et ex duplici igitur illa confectione utriusque conditio in melius est mutata (2) itaque si in uno mercium genere est excessus, hic tantum adest ideo, quoniam res aliûs generis deficiunt (3). Certarum rerum numerus quidem,

---

(1) Ita quoque MURHARD, *Th. und Pol. des Hand.*, I. p. 124.

(2) Cf. SAY, *Cours Compl.*, II. p. 12 sqq.

(3) Cf. MAC-CULLOCH, *Principl.*, p. 183 sq. qui hac de re dicit: «*It is true, that those individuals, who are most industrious may produce commodities, which those, who are less industrious — who prefer indolence to exertion — may not have the means of purchasing or for which they may not be able to furnish an equivalent. But the glut arising from such a contingency must speedily disappear. Every man 's object, in exerting his productive powers must be either to consume the entire produce of his labour himself, or to exchange it, or portions of it, for such commodities as he wishes to obtain from others. Suppose now, that he directly consumes every thing he produces: it is obvious that in such a case there can be no glut or excess; — when individuals, instead of directly consuming the produce of their industry, offer it in exchange to others, their miscalculation may occasion a glut. — This, however, is an error that will speedily be rectified; for, if he find, that he cannot attain his object by prosecuting his present employment, he will forthwith set about changing it, producing, in time to come, such commodities only as he can find a merchant for, or as he means to consume. It is clear, therefore, that a universally increased facility of production can never be the cause of a permanent overloading of the market.*» Anno 1825 obtinuit, ut in America res ad vendendum ab Anglis oblatae vendi non potuerint: causarum unam etiam refert G. VON GÜLICH, *über die gegenw. Lage des eng. und deutsch. Handels*, p. 25, dicens: «*Manche* (*Waaren*) *für den Bedarf des Marktes slecht gewählt, waren gar nicht an zu bringen.*»

quibus homines indigent in regione quadam, necessario habet limites (1): ita in regionis cujusdam usum plures pilei non sunt conficiendi, quam adsunt capita: sed increscens numerus aliarum rerum efficiet, ut augeatur civium numerus, ita increscet capitum numerus, quae pileis indigent. Multo major, quae jam est, quam olim, industria hodie alimenta praebet numero duplici incolarum in Francia, quam aderant tempore Ludovici XIV (2). Si tunc confecti fuissent tot pilei, quot fiunt hodie, hujus rerum generis adfuisset excessus: idem numerus vero hodie non est nimius: cur autem hoc obtinet? quia in Francia plures res conficiuntur, quam tempore Ludovici XIV, quarum ope jam pilei emi possunt, et licet numerus populi non increvisset, posset tamen populus Franciae multo plures res consumere, quia, rebus confectis majore numero per machinas, jam emere possunt homines alias novas res confectas, quae augent prosperitatem publicam et ad operas praestandas adhibent denuo illos, qui per machinas solito labore carent (3). Quodsi contenderetur, homines jam habere omnia, quibus indigent, ipsa experientia eam sententiam satis refelleret (4). Attamen hoc verum est, si res confectae alicujus generis superant appetitum hominum eas sibi habendi, transeundum est ad confectionem alîus generis rerum: quod sine difficultatibus

(1) Cf. Rau, *Lehrbuch*, I. § 403.

(2) Cf. *Resultate*, etc. p. 182.

(3) Cf. *Resultate*, etc. p. 179. Consumtionem per vilia pretia augeri quam maxime, etiam contendit G. von Gülich, *über die gegenw. Lage des engl. und deutsch. Handels*, etc. p. 16 sq.

(4) Cf. Mac-Culloch, *Princ. of pol. econ.*, p. 190 sq. *But in the second place* etc.

locum non habet (1), quae tamen superari omnino possunt. Confectio autem mercium novi generis progressum facere nequit, nisi excitetur appetitus eorum, qui utendo res consumunt, nisi nova addiscant ii, qui confectioni praesunt et opifices, nisi novae adsint sortes: haec autem omnia nisi post tempus aliquod obtinere nequeunt. At respondet his difficultatibus Saytus: «*Mais, d'un autre côté, faut-il que des inconvéniens nécessairement passagers arrêtent les progrès au moyen desquels les nations se tirent de la barbarie et parviennent successivement au bien-être, à la civilisation, à l'abondance? Et quand même on croirait avantageux d'arrêter la marche de l'industrie, le pourrait-on sans rencontrer des inconvéniens plus graves encore* (2)?» De hoc ultimo argumento pronuntiat ita: «*Ce n'est donc pas pour délibérer sur l'emploi ou la prohibition des machines qu'il est utile d'éclaircir ces questions: quand on est raisonnable on ne délibère pas pour savoir si l'on fera ou non remonter un fleuve vers sa source: mais il est fort nécessaire de prévoir les ravages de ce fleuve, de diriger ses écarts, et surtout de profiter du bienfait de ses eaux* (3).»

---

(1) Difficultates has minoris multo momenti censet Mac-Culloch, o. l. p. 194, dicit enim: «*ultimaly, therefore, the introduction of machines cannot fail of being highly advantageous to the labourer; and even when first resorted to, they never impose on him any other hardship than that of occasionally forcing him to change his business. This however is seldom a very material one.*»

(2) Vid. Say, *Cours Compl.*, I. p. 239. cf. Rau, *Lehrb.* I. § 403. Murhard, *Theor. und Pol.*, I. p. 118 sqq. *Resultate*, etc. p. 24 sq.

(3) Say, *Cours Compl.*, I. p. 240. cf. Rau, *Lehrb.*, § 403. Chaptal,

Aliae vero sunt etiam res et causae, quae malum, quod ex usu machinarum recepto nonnulli sentiunt, minuunt: ita, ipsae machinae sunt conficiendae (1); earum confectio requirit sortes, ii igitur tantum machinas adhibere possunt, qui sufficientes habent sortes: requiritur porro peritia ad novam machinam conficiendam necessaria: accedunt consuetudinis efficacia a nova machina alienae, metus novum quid adhibendi medium, metus sortem amittendi; haec omnia differunt usum generalem machinae et efficiunt, ut ad ejus usum transeatur tantum gradatim. Avertunt illa fere omne malum, quod ex de repente recepto machinae usu oriri possit. Quo magis porro industria in civitate quadam perfecta diei potest, eo plures adhibitae erunt machinae, et inventio novae machinae, eo erit difficilior: itaque increscente difficultate novam inveniendi machinam, eo rarius usus novae machinae introducetur. Si autem in urbibus, ubi magna habentur opificia, opifices interdum labore indigent, vel sufficiens non recipiunt salarium, ut bene possint vivere, id non provenit ex usu recepto machinarum: nam ratione habita civium numeri non plures habentur opifices miseria affecti ibi, ubi adhibentur machinae, quam ibi, ubi non adhibentur. Exemplum nobis hac de re praebet tempus ELISABETHAE, Reginae Angliae. In Anglia tunc non aderant machinae, quales eas nos habemus, tunc tamen lata est lex de pauperibus (*poor-taxe*) ut publicae miseriae et inopiae succurreretur. Non itaque sunt

---

de l'industrie française, II. p. 220. MURHARD, *Theor. und Pol.*, I. p. 192 sq. *Resultate*, etc. p. 177 sqq.

(1) Ita etiam MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. econ.*, p. 192.

majores merces conficiendi facultates, quae miseriâ afficiunt populos: sed defectus industriae et diligentiae, sortium mala administratio etc. imo haec miseria publica minus est perniciosa, ubi adhibentur machinae (1), in ea enim regione ubi omnia fiunt hominum viribus physicis, si cessat labor, permulti homines victu carent, dum, si cessat machina adhiberi, dominus ejus amittat tantum usuram pecuniae suae in machinam erogatae. Saepe autem machinae opificibus etiam prosunt, quorum laborem supprimere videbantur; diminutum enim pretium mercium efficit, ut plures longe maiori copia eas emere possint: imo experientia docet, eos, qui utendo res consumunt, multo magis increscere numero, quam res pretio decrescunt, nam si hoc diminuitur una parte quarta, consumtio interim duplex facta erit, cujus rei effectus est is, ut post aliquod tempus multo majore numero opificum opus sit, si homines utuntur machinis, quam si res conficiuntur tantum labore, qui manu adhibetur (2). »

Multum cum doctrina a SAYO proposita convenit

(1) Similem doctrinam profert RICARDO, *Princ. de l'éc. pol.* et *de l'imp.*, I. p. 44—53, si autem 53 dicit: *voilà l'utilité qui résulte pour le public de l'usage des machines: elles sont toujours le fruit d'un travail bien moindre que le travail, qu'elles remplacent, lors même qu'elles ont une valeur pareille en argent. Par l'influence des machines la hausse du prix des subsistances, qui amène la hausse des salaires, atteint un moindre nombre de personnes, et l'économie, qui en résulte est bien sensible par la baisse dans les prix des articles fabriqués. Ni les machines, ni les objets fabriqués ne montent de prix: mais tout ce qui est fait par machine baisse et cette baisse est en raison de la plus grande durée des machines.* »

(2) Idem contendunt RAU, *Lehrb.*, I. p. 409, et MAC-CULLOCH, *Principl.* p. 189. *In the first place*, etc.

doctrina Mac-Cullochii. Nos igitur de hac pauca tantum subjungamus. «Fiat suppositio (1), inquit hic, ut in omni industriae parte sors conveniat revera voluntati et facultati emendi, et ut omnes hae partes eundem referant reditum purum. Jam si augentur facultates omnes merces conficiendi et eadem ratione numero increscunt omnes res confectae, tunc societatis divitiae augebuntur, forum vero mercibus non obruetur; auctum enim aequipollens in una parte, in aequilibrio retinet auctum aequipollens in altera parte. Si vero ab una parte adsunt homines industrii, qui res novas conficiunt, ab altera vero, qui pigritiae sunt dediti, ad certum tempus nimia abundantia aderit certarum quarumdam mercium, sed ea tunc sequetur ex confectione nonnullarum rerum nimis parva, non ex confectione generali nimium aucta.

Animadverterat Malthus (2), partem sortis vel totam sortem fixam deperdi, si ea adhibetur novos in usus, atque ita sortem, quae superest, ejusdem laboris mercedem rependere non posse, quam antea: sed contra eum animadvertit Mac-Culloch (3): facultatem laborem adhibendi pendere a sorte, de qua potest disponi: hanc partem sortis omnino collocationi pristinae subtrahi posse, et, cum ejus sortium copia regat facultatem laborem adhibendi, sententiam veritate carere, transferendo sortes ab uno negotio in alterum, multos

---

(1) Vid. Mac-Culloch, *Principl.*, p. 184 sqq. cf. G. von Gülich, *über die gegenw. Lage des engl. und deutsch. Handels*, p. 63 sqq. *Die Resultate des Machinenwesens*, etc. p. 98 sqq.

(2) Cf. Malthus, *Princ. d'écon. pol.*, II. p. 166.

(3) Vid. Mac-Culloch, *Principl.*, p. 195 sqq.

operam suam praestandi amittere facultatem. Pars sortis fixa, quae dicitur, forte ita deperditur et nonnulli homines damnum sic subire possunt, tota vero societas inventionis, qua labori parcitur, magnum sentiet commodum. »

Murhardus hanc addit observationem (1) translatam ex opere Bernouilli (2). « 1°. sibi contrarium esse dicere: aliquid, quod interest uniuscujusque privati, noxium est universitati; quis enim non cupit minimâ, quantum potest, operâ multum conficere? quis non expetit machinas, quam maxime perfectas? Quis non cupit emere minimo pretio? Neque minus contrarium esse dicit idem contendere: novam parsimoniam in adhibendo opifices damnum afferre, et usum mediorum, quibus confectio redditur facilior eaque augetur, esse noxium; et censere: sublatis parsimonia et iis mediis, quibus aucta jam est industria, lucrum non afferri. Qui enim novam parsimoniam non adhibendam putat, et media, quibus augetur et facilior redditur mercium confectio, noxia profitetur, contendere etiam debet tollendam esse parsimoniam, quae jam est adhibita, tollenda esse media, quibus jam usi sunt homines, ut mercium confectionem redderent majorem: dicit hanc ob rem l. l. Murhardus: « *Man sollte demnach, wenn man auch Machinen als privat-Eigenthum nicht angreifen möchte, rathsam finden, Brücken ab zu tragen, damit jeder, der einen Fluss passiren will, einen Schiffer brauche?* etc.

(1) Murhard, *Theor. und Pol.*, I. p. 121 sq.

(2) Bernouilli, *Untersuchungen über die angeblichen Nachtheile des zunehmenden Fabrik- und Machinenwesens.* Basel, 1828.

Scripsit inprimis autem MURHARDUS de ratione et modo, quibus mercium confectio vim exerceat in ambitum mercaturae: professus est tria esse, quae moderentur mercaturam nationis alicujus (1). 1°. ambitus mercium confectionis, 2°. sortis magnitudo qua gaudet, 3°. ejus commercium: si quis igitur mercaturam alicujus populi quam maximam reddere cupit, dimoveat impedimenta, quae obstant, quominus facultates conficiendi alicujus populi se evolvant, accrescant sortes, et augeatur quam maxime numerus eorum, qui voluntatem junctam facultati habent res novas emendi. Itaque contendit (2), confectionem rerum ambitum mercaturae eadem ratione posse extendere, qua venditio earum fit frequentior. Appetitus et venditio pendent a voluntate et facultate emendi et haec rursus a ratione et modo, quo reditus populi universus inter varias societatis classes dividitur: venditio itaque mercium in forum allatarum nititur partim eo, quod abundantia mercium ejusdem generis non debet superare gradum, quo homines iis indigent; partim eo, quod qui indigent mercibus iis, facultatem habere debent eas emendi. Si unum alterumve horum requisitorum abest, merces inemtae manere debent. Si autem jam res inemta manet, hujus rei causa non quaerenda est in industria ipsa, sed in abusu, quo alicujus generis res nimia abundantia sunt confectae, ita ut superent gradum, quo iis homines indigent, vel facultatem eas emendi.»

---

(1) MURHARD, *Theor. und Pol.*, I. p. 95.
(2) Vid. MURHARD, *Theor. und Pol.*, I. p. 126 sqq.

§ 5. *De iis, qui concursum venditorum publice noxium esse censent.*

Concursus considerari potest tanquam duplex, inter emtores scilicet et inter venditores (1); ille effectum habet pretium augendi rerum confectarum, hic vero illud diminuendi. Quoniam autem quaestio nostra spectat casum, quo nimia adsit abundantia rerum, non vero casum, quo rerum confectarum copia non sufficiat, facile est perspectu, nos missum facere posse cuncursum inter emtores. Tantum igitur dicemus de concursu venditorum.

Uti de ceteris argumentis ad nostram quaestionem spectantibus, ita etiam de concursu venditorum variae omnino prolatae sunt sententiae, prouti nempe auctores favent systemati libertatis vel illud rejiciunt. Inprimis ita SISMONDI et MALTHUS inter eos fuerunt, qui ex magno numero mercium vendendarum, ex concursu igitur venditorum, uti ex ceteris mediis, quae favent mercium confectioni, causam repeterent rerum confectarum nimiae copiae. Videamus itaque secundum §i inscriptionem primum de iis, qui concursui venditorum non favent.

Secundum SISMONDIUM (2) magna venditorum copia ostendit, homines plura conficere, quam opus est, viliori pretio, nulla ratione habita voluntatis et facultatis hominum res confectas emendi: nam voluntate et facultate hominum emendi non auctis, et aucto numero mercium, nonnulli fiunt ditiores, alii vero certo affi-

(1) Vid. RAU, *Lehrb.*, I. § 164, et MALTHUS, *Princ. d'écon. pol.*, I. p. 64 sq.

(2) Vid. SISMONDI, *Nouv. pr.*, I. p. 403 sqq.

ciuntur damno. Sunt, qui SISMONDIO objiciant, novam rerum confectionem sua vice novum creare reditum, et licet tunc appetitus res sibi habendi sit consequentia hujus reditus et veniat post rerum novarum confectionem, illud non impedire, quominus voluntas hominum juncta facultati emendi absorbeat res, quae confectae sunt: sed respondet SISMONDI, reditum illum novum, exinde profectum, quod ii, qui res novas conficiunt, consenserint ad opus perficiendum viliori pretio, debere esse minorem, quam novam confectionem; scilicet, magni venditorum concursûs primus est, ut dicit, effectus, quod diminuat salaria eodemque tempore augeat opificum numerum: plus ita conficiunt minori pretio, utendo vero minus consumunt, ideo quia eorum reditus non sufficit ad res novas confectas emendas: sequitur inde rerum nimia abundantia, quae proinde vendi nequeunt. Quisque autem, qui rerum novarum confectioni operam praestat, spectat aut peregrinos, vel sibi proponit, aliâ in arte vel opificio novum nasciturum esse reditum; hujus rei rationem vero sibi dare non curat: at omnes industriae partes sibi sunt aequales, omnes peregrini commercium inter se ineunt, et comparationem instituunt inter rerum, quae variis in locis venduntur, pretia, et ratio, quae primum habita est unius opificii, jam toti convenit nationi et toti denique foro mundi cogniti. Mercatura igitur potest accrescere, sed, si incrementum illud provenit ex diminutione ejus, quod antea solvebatur tanquam salarium et pro usura sortium (1), consumtio pari passu non progreditur, quo confectio, et prosperitas major non erit.

(1) Vid. SISMONDI, *Nouv.*, I. p. 407. cf. idem II. p. 400 sqq.

Credit Sismondi ita everti axioma, quod in oeconomia pol. maxime est propugnatum ab aliis, nempe: liberum omnium venditorum concursum designare progressum, qui industriae maxime convenit, cum quisque sciat optime, quid sua intersit, et quum id, quod uniuscujusque interest, intersit simul omnium. Hoc placitum, licet in se verum esse possit, tamen ad conclusionem falsam ducere, contendit Sismondi: scil. quod uniuscujusque interest, id, si omnes aeque recte rem perspiciunt, revera erit id, quod omnium interest: sed, quum quisque quaerat, quid sua intersit cum detrimento ceterorum, quum etiam non semper omnes iisdem praediti sint viribus ad industriam exercendam, is, qui ita majoribus gaudet facultatibus, tunc habet, cur sibi sumat, quae possit, et qui minoribus gaudet viribus habet rationem sufficientem, cur ei non resistat. In ejusmodi pugna commodorum omnium inter se invicem, auxilium vulgo fert injustitiae Imperii administratio, quae se nullis partibus credet faventem, at revera a partium studio aliena non est, cum se semper sine rei examine parti adscribat fortiori (1). Dicit itaque Sismondi: «*De toutes parts il semble donc que l'action de chaque individu tend à presser le jeu de la machine. Peut-être le devoir du gouvernement consisterait-il à ralentir ces mouvemens pour les régulariser*» (2).

Uti Sismondi, ita etiam Malthus magnam, quae existit, mercium vendendarum copiam improbat, licet paulo aliter ratiocinetur. Profitetur hic: necessitudi-

(1) Vid. Sismondi, *Nouv. pr.*, I. p. 407 sq.

(2) Sismondi, *Nouv. pr.*, I. p. 410.

nem, quae intercedit inter cupiditates hominum et facultatem res confectas emendi earumque oblationem pretium moderari mercium. Quo major itaque est voluntas juncta facultati res emendi, eo major rerum confectarum erit appetitus: quisque autem res sibi comparare cupit minimo pretio, et cum media, quibus res novae magno numero conficiuntur, et venditorum concursus eos incitet ad merces suas vili pretio vendendas, voluntas et facultas res confectas emendi hominum non aderunt tales, quales eae se habere debent secundum MALTHUSIUM, qui talem hominum probat appetitum, quo magnum pretium pro rebus confectis solvitur (1); pretii enim diminutio, auctore MALTHUSIO, tendit ad rerum emendarum voluntatem et facultatem minores reddendas; hoc nomine causas diminutionis pretii improbat, quas sitas esse contendit vel in diminutione numeri rerum earum, quibus indigent ii, qui res utendo consumunt, vel in nimia abundantia rerum confectarum, quae vendendae offeruntur (2).

Si impensae confectionis alicujus rei diminuuntur, copia aucta rerum oblatarum locum dabit pretii diminutioni; continuo autem haec abundantia increscet, cum concursus venditorum efficiat, ut pretium diminuatur, et admodum raro haec diminutio pretii locum dat majori consumtioni. Licet vero id ita sit, tanto

(1) Ita enim MALTHUSIUS videtur mihi sentire, cum dicat: «*l'intensité réelle de la demande ne se manifestera pas:*» quam sententiam plenius explicat *Princ. d'éc. pol.*, I. p. 75, nempe ibi dicit: «*l'intensité de la demande, ou la volonté jointe aux moyens de faire un plus grand sacrifice pour acquérir l'objet dont on a besoin.*»

(2) MALTHUS, *Princ.*, I. p, 67.

numero res ab iis, qui eas conficiunt, afferentur, ut pretium diminutum sit eadem ratione, qua facilitas conficiendi est aucta. Si diminutum vel auctum est rerum pretium, quantitas rerum oblata et consumta post aliquod tempus potest esse eadem, et tamen appetitus hominum res sibi habendi idem amplius dici nequit: concursus enim eorum, qui res vendendas offerunt, efficiet, ut voluntas hominum una cum facultate majus solvendi pretium pro rebus confectis non amplius sit necessaria ad obtinendam quantitatem rei, quam appetunt homines: ubi autem haec voluntas juncta facultati majus solvendi pretium necessaria amplius non est, ibi ea adesse desinit, et pretium rerum confectarum fiet vilius; non igitur est consumtionis magnitudo, quae efficit, ut pretium rerum confectarum fiat majus vel vilius: hoc tantum debetur mutationi necessitudinis oblationem inter venditoris et appetitum emtoris, quae mutatio efficit, ut necessario rerum pretium decrescat, et ut res confectae ob nimiam abundantiam vendi non possint (1).

Mercium igitur vendendarum copia tendit ad pretium rerum confectarum diminuendum, adeoque ad consumtionem extendendam, non vero ad voluntatem et facultatem augendam majus pro rebus confectis solvendi pretium, et ad augendum valorem permutationis (2). Quoties autem valor permutationis totius quantitatis

(1) Malthus, o. l. I. p. 71. sqq., de altero effectu mutationis oblationem inter et appetitum necessitudinis, qui est, quod rerum pretia majora fieri possint, hic non dicimus, quoniam non pertinet ad quaestionem nostram.

(2) Cf. Malthus, o. l. I. p. 308 sq., 466 sqq., 484 sqq.

omnium rerum, laborem plurium hominum, quam olim eodemque pretio, adhibere potest, incrementum generale omnium rerum aderit (1). Contra quoties res confectae eundem hominum laborem eodemque pretio amplius adhibere non possunt, valde decrescet, uti manifestum est, illa facultas emendi et cessat itaque appetitus (ut cum MALTHUSIO dicam) effectivus rerum confectarum, quarum pars jam fit superflua (2).

Secundum MALTHUSII sententiam, ni fallor, concursus venditorum efficere videtur, ut plura conficiantur, eaque minoris sint pretii; pretio autem rerum confectarum minore accepto, diminuatur valor permutationis. Tendit itaque, ex illa sententia, concursus venditorum ad forum mercibus obruendum, quoniam pars rerum confectarum vendi nequit et fit nullius pretii propter diminutum reditum ex confectione rerum perceptum.

§ 6. *De iis, qui concursui venditorum favent.*

Alii longe aliam de concursu venditorum proponunt sententiam, de quibus jam nunc dicendum est. Experientia docet, ait RAVIUS (3) ad exemplum ADAMI SMITHII, rerum pretium eo tendere semper, ut restituat impensas in confectionem erogatas, et eos, qui res novas conficiunt, reddat idoneos ad novam confectionem procurandam (4). Si enim minus est pretium, quam

(1) MALTHUS, o. l. II. 126 sq.

(2) MALTHUS, o. l. II. p. 121 sqq., ubi loquitur de eo, quod ei dicitur *demande effective,* de qua II. p. 126 sq. Cf. RAU, *Malthus und Say,* p. 216 sqq.

(3) Vid. RAU, *Lehrb.,* I. § 168. Cf. eod. § 189.

(4) Multo magis RICARDO hoc urget principium: dicit hac de re, *Princ. de l'éc. pol.* etc., I. p. 124: *C'est cette concurrence qui établit la valeur*

ut impensas compensare possit, venditores desinent hasce res amplius vendendas offerre: oblatio earum rerum decrescet usque ad illud tempus, quo pretium iterum majus evaserit: si vero pretium est majus, plures concurrere incipiunt, ut partem lucri faciant suam; quo majus enim est pretium, eo majus lucrum percipiunt rerum venditores; accrescit ita rerum earum oblatio, quo efficitur, ut rerum pretium fiat vilius. Utroque casu itaque pretium redditur sumtibus erogatis conveniens (1). Hoc principium vero requirit, ut rerum oblatio secundum mensuram pretii facile possit augeri vel diminui: si vero obstant impedimenta quaedam, quae vetant, quominus id locum habeat, fieri potest, ut rerum pretium sit majus vel vilius, quam impensae. Plerumque vero illa impedimenta non sunt diuturna, neque magni momenti, ita ut aequilibrium inter pretium et impensas, si quando ruptum id est, brevi restituatur; attamen semper necesse est, impedimenta recordari, quae vetant, ne facile et continuo mutetur mercium oblatio (2). Sita haec esse possunt in naturalibus causis vel in conditione hominum.

échangeable des marchandises, en sorte qu'après le payement des salaires pour le travail nécessaire à leur production, et des autres dépenses indispensables pour donner au capital engagé toute sa faculté primitive de production, l'excédant de valeur est dans chaque espèce de fabrique en raison de la valeur du capital employé.» Cf. RICARDO. o. l. I. p. 203 sqq.

(1) Vid. RAU, *Lehrb.*, I. § 169. RAVIUS hoc principium non attendisse videtur in opere, *Malthus und Say*, p. 210 sqq. Cf. SAY, *Cours Compl.*, T. I. p. 150 sq. et 196.

(2) Illud explicat RAVIUS his verbis *Lehrb.*, I. § 170: «*Die Hindernisse einer leichten Bewegung des Angebotes können in natürlichen Umstände*

Naturalia impedimenta sunt: α. quod multae sunt res, quarum confectio certis inhaeret locis; β. rerum confectarum copia non plane pendet a voluntate humana, licet earum confectio impedimentis non subsit. Ex *conditione hominum* proveniunt: α. ex labore: sic homines, qui aliquo in labore certam obtinuerunt peritiam, ad alium non facile possunt transgredi; β. ex sorte: *a.* ita ad multa opificia sortibus opus est ita magnis, ut non facile eae inveniantur; ad ea vero ubi minoribus opus est sortibus, concursus oblatarum sortium est major: *b.* si quis magnam jam adhibuit in certa quadam re sortem, non facile ad aliud opificium transire potest, γ. etiam a parte appetitus sunt impedimenta: hic enim si valde mutabilis est, metuendum est, ne rursus decrescat, antequam quis res suas vendiderit.

Si vero pretium nonnullarum rerum decrescit, certe suadet pretii illa diminutio, ut limitetur magis etiam earum oblatio. Ita fieri potest, ut aequilibrium inter sumtus rerum earumque pretium locum non habeat propter impedimenta citata (1).

---

oder in menschlichen Verhältnisse ihre Grund haben.» Vid. RAU, *Lehrb.* I. § 170 sqq., haec impedimenta minimi ducit RICARDO, *Princ.*, I. p. 125, de iis pronuntians: «*Quant à nous, après avoir pleinement reconnu les effets temporaires, qui, dans certains emplois du capital, peuvent modifier le prix des denrées, celui des salaires ou des profits, ces effets se faisant également sentir dans toutes les époques de la société, nous pouvons les négliger entièrement en traitant des lois, qui règlent les prix naturels, les salaires naturels et les profits naturels, qui sont des effets tout-à-fait indépendans de ces causes accidentelles.*» Cf. idem *Princ. de l'éc. pol.* etc., I. p. 176 sq. et 210, de his impedimentis cf. porro HERMANN, *Theor. und Pol.* etc., T. II. *Vierte Abtheilung*, p. 271 sqq.

(1) Quod ita explicat RAVIUS, *Lehrb.*, I. § 172, in fine: *Und so kann es*

A veritate igitur aberrare mihi non videor, si dico, secundum RAVII sententiam posse exsistere casus, quibus forum mercibus obruatur; hos vero esse effectus causarum externarum, quae impediunt pro parte, ne oblatio rerum facile pro minori majorive earum pretio diminuatur vel augeatur. At concursum efficere censet idem scriptor, ut aequilibrium inter rerum pretium restituatur et impensas, quas earum exegit confectio (1).

MAC-CULLOCH (2) refert concursum venditorum efficere, ut lucra omnium reddantur aequalia (3), propter easdem rationes, quas RAVIUM protulisse jam vidimus, ut ostenderet, rerum pretium eo tendere semper, ut restituat impensas in earum confectionem erogatas et opifices idoneos reddat ad novam confectionem procurandam. Contendit, ita effici, ut, quod uniuscujusque interest, inserviat ad producendum quod interest omnium (4):

---

geschehen dasz unaufhörliche Schwankungen erfolgen ohne dass beide Grössen einander erreichen.» Hoc multo magis urget in opere: *Malthus und Say*, p. 207: «*Allein die Unmöglichkeit, dass die Gewerbe so schnell jedem Zu oder Abnehmen der Nachfrage folgen könnten, als es sich die Smithische Schule vorstellt, ist neuerlich in Deutschland oft zur Sprache gekommen.*»

(1) Cf. etiam RAU, *Lehrb.*, I. § 276, coll. § 273.

(2) MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. econ.*, p. 179 sq.

(3) Idem contendit RICARDO, *Princ. de l'éc. pol.* etc., I. p. 118 sqq., p. 158 sqq. Cf. I. p. 175 sq., 267 sqq.

(4) Ita dicit MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. econ.*, p. 207: «*The law of competition, or the attention paid by every individual to his own interest will not allow this principle to be infringed upon for any considerable period; and speaking generally, will insure the equality, all things taken into account, of wages, and also of profits, in different occupations.*» Sortes sponte semper eo tendere, quo utilissime adhiberi possunt, animadvertit etiam Vir Cons. A. A. DEL COURT, *Spec. de Nundinis*, p. 14 sq.

dicit nempe: magna lucra in nonnullis artibus percepta sunt effectus magni rerum pretii: haec autem decrescunt, et rerum emtio fieri potest a majore numero emtorum, statim ac major sors in earum adhibeatur confectionem: hinc patet, collocationem sortis eam esse optimam, quae maximum praebet lucrum; et, si duae sortes aequale referunt lucrum, praebent documentum illae, partes industriae, in quas adhibentur, aequaliter prodesse: nihil itaque inanius, quam metus, ne maxima libertas industriae efficere possit, ut sortes deducantur in collocationem, quae industriae minus convenit (1). Multum etiam facere, contendit porro, systema libertatis ad commercium augendum: hoc enim efficit, ut multo majore numero homines possint concurrere ad res suas vendendas; ita valor permutationis vel pretium rerum confectarum diminuitur, donec sumtus confectionis majorem prohibent diminutionem, et per concursum venditorum ita efficitur, ut homines omnibus possint frui commodis, quae afferunt media conficiendi magis magisque perfecta (2).

Say, Sismondi, Malthus aliique professi sunt, concursum sortium efficere, ut minora percipiantur lucra ab earum dominis; hoc est, quod negat Mac-Culloch. Secundum ejus sententiam (3), concursûs ille est effectûs, ut lucra reddantur aequalia in omnibus industriae partibus: non vero tendit ad efficacitatem diminuendam

---

(1) Vid. Mac-Culloch, *Princ. of pol. econ.*, p. 180. Cf. p. 306 sq., 311—314, 323 sqq., 336 sqq., 345. Murhard, *Theor. und Pol.*, II. p. 51 sq., coll. 59 sqq., 69.

(2) Mac-Culloch, *Princ. of pol. ec.*, p. 148 sqq., 187 sqq., 193 sq.

(3) Ita etiam Ricardo, *Princ. de l'éc pol*, I. p. 178 sqq., 190 sqq.

neque ad augendum gradum, qui intermedius intercedit inter maximum et minimum salarii modum, vel ad augendum modum, quo tributa exiguntur (1). Jam si talem effectum concursus habere nequit, non potest etiam efficere, ut lucra a dominis sortium percipienda diminuantur; minora lucra vero repetenda sunt ex augmento tributorum et ex necessitate societatis adhibendi terras minoris fertilitatis ad alendum majorem hominum numerum: si enim terrae adhibitae sunt fertiles, tunc ratione habita aliarum, quae minus sunt fertiles, major rerum confectarum copia dividenda est inter lucra et salarium: sed quaque diminutione fertilitatis terrarum, quae adhibentur, copia rerum confectarum ex certa quadam quantitate sortium et laboris etiam decrescere debet; ita haec diminutio efficit ut lucra etiam diminuantur, 1° propter diminutionem quantitatis rerum confectarum dividendarum inter sortium dominos et opifices: scilicet terrae steriles, si excoluntur, majores requirunt sumtus, quam fertiles; rerum autem confectarum ex utroque terrarum genere idem fere est pretium; itaque si adhibentur agri steriles, sponte patet, minus percipi lucrum, quoniam primo impensae restituendae sunt, antequam lucrum potest adesse; atqui eae augentur, si agri excoluntur steriles: 2° quoniam augetur pars redituum, quam opifices obtinere debent: scilicet, agri steriles non excoluntur nisi cultura restituat

---

(1) Quod his verbis dicit MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. ec.*, p. 483: «*Most certainly, it has no tendency to lessen the productiveness of industry, or to raise the average rate of wages or the rate of taxation; and if it can do none of these things, it is quite impossible it can lower profits.*»

majores impensas, quas requirit sterilis ager. Res itaque primae necessitatis jam constant majori pretio et salarium opificum igitur est augendum, ut vivere possint et sibi comparare res primae necessitatis, quae majore constant pretio, si agri excolendi sunt steriles (1).

Inter eos, qui concursui venditorum favent, inprimis in censum venit J. B. SAY. Primum notat effectum concursûs, quod per eum res confectae justo vendantur pretio; potest enim rei alicujus certis in casibus et per media vi et arte adhibita valor multum extolli, ita ut pretium multo nimium pro ea solvatur (2). Hoc si accidit, dicit: *«c'est une spoliation,»* et alio loco (3), *«c'est par des abus.»* Si quis, qui rerum confectioni operam praestat, rem potest conficere minoribus sumtibus, quamdiu haec ratio aliis ignota est, omne inde lucrum ipse percipit; sed ab eo tempore, quo ratio operarum, quam sequitur, universe cognita est, concursus cogit eum, ad rem confectam vendendam eo pretio, quod requirunt sumtus confectionis. Idem tunc acquiritur lucrum, sed non amplius ab opifice, sed ab iis, qui utendo res consumunt, i. e. ab omnibus. Jam tunc divitiae omnes pondere et gravitate increscunt, ratione habita hujus rei singularis; hujus rei enim plus acquiri jam potest minori pecunia, vel si emtor plus alicujus rei confectae sibi comparare nequit, licet pretium ejus diminutum sit, habet plus pecuniae ad emendas alias res: *«c'est-ce qui me fait*

---

(1) Vid. MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. ec.*, p. 482 sqq.

(2) SAY, *Cours Compl.*, I. p. 100. Cf. MURHARD, *Theor. und Pol.*, II. p. 130 sqq., 248 sqq.

(3) SAY, *Cours Compl.*, T. I. p. 113.

dire, inquit Say, *qu'il est plus riche.*» Idem jam accidere potest in omnibus rebus confectis; tunc bona, quae possident ii, qui utendo res consumunt, fiunt majoris valoris, respectu omnium rerum confectarum, i. e. sensu etiam absoluto. Divitiae enim nostrae semper aestimandae sunt ratione quantitatis rerum, quam nobis comparare per eas possumus; haec autem quantitas cognoscitur ex abundantia earum, vel quod eodem redit, e vili earum pretio: cum *abundantia magna* et *vile pretium* dicta sint synonyma. Quaeque diminutio pretii igitur est progressus, qui efficit, ut accedant res confectae ad bona illa naturalia, quibus fruimur, cum tamen nihil pro iis solvendum nobis sit. Si jam pro aëre aliquid solvere coacti essemus, divitiae nostrae forent diminutae: contra, si omnes res confectas pro nihilo nobis possemus comparare, infinite auctae forent: itaque dicit Say: «*entre la nullité et l'énorme quantité de services productifs, que coûtent les objets de consommation, il y a une multitude de degrés dans l'état présent des sociétés. Mais dans cet état présent de la société, les individus, qui la composent, deviennent plus riches, chaque fois, qu'il peuvent acquérir à moins de frais, tantôt l'une tantôt l'autre, des choses, qu'ils veulent consommer.*» In hac doctrina solutio invenitur quaestionis: «quomodo fieri possit, ut natio eo sit ditior, quo minore pretio res confectae constant, dum divitiae sint compositae ipsarum harum rerum valore» hac de re enim pronuntiat ita Say (1): «*On peut dire que les frais réprésentent toujours un*

(1) Vid. Say, *Cours Compl.*, II. p. 47.

sacrifice, et l'utilité une jouissance; or, c'est un avantage pour l'homme, que de multiplier ses jouissances, et de diminuer les sacrifices, au prix desquels il les obtient» (1).

Alter effectus est, quod accumulationes sortium compositae sint magis ex multitudine partium parvarum, quibus parcitum est, quam ex parvo numero magnarum partium; statim enim ac genus industriae satis magna praebet lucra, ut eorum parti parcere possint, qui illud exercent, concursus venditorum supervenit, qui lucra diminuit (2); dicit etiam Say (3): «Mr. Malthus *et* Mr. Sismondi *craignent, que les sinécuristes devenus laborieux n'élèvent une concurrence fâcheuse aux autres industrieux. Mais c'est une crainte chimérique.*» Homo enim, qui res conficit, emit res confectas ceterorum eorum, qui ipsi etiam res novas conficiunt. Exemplo sint omnes regiones, ubi viget industria: in his solis multa venduntur et populi, qui, pigritiae causa, prosperitate non increscunt sunt ii, qui parce admodum utendo res consumunt. Numquam is, qui utendo tantum res consumit, se credat civitati utilem, si in otio versatur; sed persuasum sibi habeat, se nocere civitati duplici adspectu, cum quia res consumsit, quas divitiis regionis non adjecit, tum quia nihil ipse confecit, quod aliarum etiam provocasset rerum confectionem.

Hoc adjiciamus etiam ex Murhardi doctrina. Vidi-

(1) Cf. Say, *Cours Compl.*, II. p. 43 sqq. *Resultate* etc., p. 25 sqq., p. 180 sqq.

(2) Vid. Say, *Cours Compl.*, I. p. 196.

(3) Vid. Say, *Cours Compl.*, II. p. 22.

mus jam eum favere systemati libertatis. Sententia ejus huc redit, ut contendat, sperandum esse, ut brevi omnia impedimenta, quae mercaturae obstant, amoveantur: tunc mercatura recte se habebit, cum modo, tum ambitu mercium confectionis, tum etiam quantitate sortium collectarum: quamdiu vero haec plena non obtinet libertas, tamdiu mercatura pari passu cum confectione mercium et sorte nationis progredi nequit (1).

§ 7. *De iis, qui putant Summum Imperantem multum se immiscere debere rebus ad industriam pertinentibus.*

Quaestio haec arcte cohaeret cum quaestione jam agitata de libero venditorum concursu, ita ut, si novimus, quaenam sint opiniones scriptorum de venditorum concursu, exinde jam aliquantulum efficere possimus, quid generaliter sentiant de argumento horum §§. Ut melius sciatur, quid nobis velimus in his §§, haec praeterea teneantur. Quaestionem hanc proponendo, non illud volumus, ut inquiramus, an indirecte Imperans se immiscere debeat nec ne? an v. c. Imperans curare debeat, ut eae possint excoli dotes, quae ad incrementum divitiarum, ad salutem communem societatis multum faciunt: quaestio hujusmodi foret juris publici, cujus placita nos docent: Imperantem debere opportunitatem praebere, ut homines adducantur ad summam, quantum fieri potest, perfectionem, ut habeatur in civitate quam maxima juris tutela. Sed hoc

(1) Murhard, *Th. und Pol.*, I. p. 149 sq. Cf. eod. p. 145 sq., et II. p. 118 et multis sqq.

quaerimus, an imperans directe vim suam exercere debeat in industriam, praemia promittendo, monopolia vel exercendo vel tribuendo etc., et sic quidem primum videamus de iis, qui quaestioni affirmando respondendum censent.

Uti de ceteris, ita quoque de hac quaestione multae exstiterunt opiniones diversae; sunt, qui affirment, sunt, qui negent, Imperantem se immiscere debere rebus, quae ad industriam pertinent.

Inter eos, qui affirmant, inprimis nominandus est Sismondi, hancce proferens sententiam: semper si progressus spectatur divitiarum, idem provenit effectus: si omnes partes pari passu ambulant, oritur inde bonum quoddam universale: simul vero ac una aliave pars quam alia celerius progreditur, adest miseria. Jam in omnibus industriae partibus singuli videntur urgere progressum partis suae: fortasse ideo foret officium Imperantis eum progressum coercere et moderari ne noceat (1). Nationes itaque, sapientissimo modo constitutae, erunt felicissimae, quamdiu non recedent a necessitudine illa, quae intercedit inter appetitum hominum res sibi habendi, et laborem, qui adhibetur in confectionem rerum novarum: sed si semel incipiunt laborem adhibere et opus perficere pro pretio quam minimo, neque peritia, neque sobrietas, neque libertas eas a miseria servabunt immunes (2).

Imperans autem, si vim exercet, quae regit et mo-

---

(1) Vid. Sismondi, *Nouv. pr.*, I. p. 409 sqq. Cf. G. von Gülich, *Ueber die gegenw. Lage des engl. und deutsch. Handels*, p. 93 sqq. et 183 ad finem libri.

(2) Vid. Sismondi, *Nouv. pr.*, I. p. 411 sq. Cf. idem o. l. I. p. 430.

deratur divitiarum appetitum, potest maximorum commodorum exsistere causa (1). Sunt casus, in quibus, qui moderatur progressum divitiarum, earumque prohibet immoderatum incrementum, societati quam maximae foret utilitatis; sed, id ut recte fieret, deberet Imperans sola benevolentia, aequitate et prudentia duci, ut omnes recte videant, qua de causa ita agat. Adsunt itaque nonnulla, ex SISMONDII sententia, circa mercaturam, instituta, communi hodie proscripta sententiâ, quae, si merentur condemnari, tanquam industriae stimuli, possent tamen fortasse eximie inservire tamquam industriae frena. Hujusmodi sunt monopolia, praemia, collegia et corpora: haec olim impediebant, quominus nimia nasceretur hominum multitudo: hoc curae sit imperio: miseria classis pauperum praeveniri nequit, si homines nimio nascuntur numero; nam statim atque eorum nimia est multitudo, haec efficit, ut salaria propter opificum concursum diminuantur. Itaque, si labor non sufficit ad efficiendum, ut ea classis hominum vivere et commoda nonnulla possit percipere, solum hoc superest medium, ne inediam patiantur, prohibere, quominus nascantur (2).

Imperans ita ex effectibus, quos habuerunt haec monopolia, collegia, etc. media addiscere potest, quibus avertat calamitates, hodie metuendas: ex hac experientia efficiendum est, quibus limitibus circumscribendus sit concursus venditorum ab auctoritate legislativa (3). Nam

(1) Vid. SISMONDI, *Nouv. princ.*, I. p. 413.

(2) Vid. SISMONDI, o. l. I. p. 428.

(3) Cf. SISMONDI, o. l. I. p. 435.

in eo versari oportere operam Summi Imperantis in regenda industria censet DE SISMONDI (1).

Principium hac in re propugnatum ab ADAMO SMITHIO, qui profitetur optimum modum augendi divitias consistere in sinendo, (*laisser faire*) coarctavit MALTHUS (2) per has exceptiones: 1° Natura summi Imperii omnino videtur exigere, ut hodie in nonnullis negotiis oeconomico-politicis Imperantis se exserat auctoritas; 2° habentur jam legum Codices, qui spectant agriculturam, opificia et mercaturam, quorum multi indigent emendatione, ad quam adhibendam requiruntur magnum ingenium magnaque doctrina, magna rerum omnium peritia, quales in uno summo Imperante haberi possunt: 3° tributorum necessitas facit, ut intervenire Imperantes debeant. Maximi illa sunt momenti, quoniam non possunt exigi, nisi industriam et divitias privatorum affectent: debet igitur intervenire manifeste Imperans, sed affirmari potest, nimium se negotiis industriae immiscendi studium indicare ignorantiam tantum et temeritatem. Agere igitur interdum et se negotiis privatorum immiscere debet Imperans, sed quo melius officiorum suorum omnium vim et gravitatem perspexit, eo magis cautus erit in agendo.

§ 8. *De iis, qui Imperantem se non immiscere debere contendunt.*

Doctrinae vero aliorum multo magis etiam a doctrina proposita a SISMONDIO recedunt: ita contendit

(1) Cf. SISMONDI, o. l. I. p. 463.

(2) Vid. MALTHUS, *Princ. d'éc. pol.*, Introd. p. 25 sqq.

Ravius (1): oeconomias singulorum domesticas vinculo intimo inter se invicem esse conjunctas et totum aliquod systema factorum efficere, quod cum organismo quodam comparari possit. Hoc vinculum facile effici posse censet: 1°, ex animo satisfaciendi iis, quae necessaria sunt hominibus, minimo pretio, et praeterea sibi comparandi usum bonorum quorumdam, qui animus omnibus est communis (2): 2°, commune etiam est omnibus studium permutandi res confectas, quae inservire possunt ad satisfaciendum illi hominum proposito: 3°, ita fit, ut homines mutuo pendeant a se invicem, et mutuo sibi sint adjumento, quae res multum facit ad illud propositum adsequendum. Hoc vinculum ideo est tam firmum, quia oritur ex amore sui, qui singulis est proprius: 4°, quisque, quod agit, ita instituere debet, ut exinde maximum sibi comparet commodum. Inde sequitur, ut ex actionibus singulorum oriatur omnium concursus, qui efficit, ut satisfiat omnibus, quibus populus indiget (3): 5°, lucrum singulorum vulgo convenit cum modo laboris, quem quisque societati praestitit: 6°, vinculum earum praestationum dicitur commercium et commercio rerum corporalium oeconomia politica continetur. — Jam officium Imperantis in eo consistit (4), ut faveat proposito oeconomico populi universi. Oeconomia autem

(1) Vid. Rau, *Lehrb.*, I. § 7 sq., libertati mercaturae maxime favet etiam Murhard, *Theor. und Pol.*, II. p. 21: «*So viel aber zeigt eine lange und übereinstimmende Erfahrung, dass Handel und Wohlstand nur gedeihen, wo Freiheit ist.*»

(2) Cf. Murhard, o. l. II. p. 22 sqq.

(3) Cf. Murhard, o. l. II. p. 32 sq.

(4) Vid. Rau, *Lehrb.*, I. § 14. Cf. Murhard, o. l. II. p. 75 sqq.

aliquando indiget auxilio Imperantis, ut hic tollat impedimenta, quae a singulis tolli nequeunt. Imperans itaque (1) incitare debet cives ad emendandam conditionem suam, debet cavere simul, ne interrumpat progressum, qui ex natura rerum provenit, industriae, aut se immisceat, ubi non necesse est, quoniam quisque privatus vulgo melius novit media, quibus sibi consulat, eaque adhibebit sponte, nisi nimia impedimenta se opponant (2); nonnullis autem in casibus RAVIUS putat, libertatem singulorum esse coarctandam (3): 1° quoniam lucrum singulorum non semper cohaeret cum incremento sortis totius nationis, sed saepius id oritur ex ejusmodi distributione reditus populi, quae minus convenit prosperitati universorum (4): 2° quoniam lucrum praesens, quod spectant privati, in futurum saepe est noxium, futura lucra praevertens: 3° quoniam aliquando, quando in privatis libertas industriae boni publici causa coarctanda est, privatos cogi posse necesse est, ut, quod indemnitatis causa iis tribuitur, accipere non recusent: 4° debet Imperans satisfacere iis, quibus ipsa indiget civitas. Administratio igitur pecuniariarum rerum regni et regiminis multum cohaeret cum oeconomia politica.

Longe magis etiam MAC-CULLOCH favet systemati libertatis (5); dicit hic: non majori facilitati merces

(1) Vid. RAU, *Lehrb.*, II. § 2. Cf. id. o. l. II. § 3, et MURHARD, *Theor. und Pol.*, II. p. 73.

(2) Cf. MURHARD, o. l. II. p. 71 sq.

(3) Vid. RAU, *Lehrb.*, II. § 4.

(4) MURHARD, o. l. II. p. 76.

(5) Vid. MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. ec.*, p. 186 sqq., quod idem valet de sententia SAYI, qui inquit *Cours Compl.*, II. p. 271: *en thèse générale — la législation la plus favorable à l'industrie est celle, qui*

conficiendi, sed restrictionibus libertatis mercaturae tribuendum est, si negotia vel opificia suscipiuntur, quae damnum afferunt. Instituta enim noxia et prudentiae politicae minime congrua, quae restringunt mercium evehendarum et importandarum libertatem, efficiunt, ut res nostrae a peregrinis non adeo expetantur. Plena libertas mercaturae dari nequit, ob tributa et vectigalia, quae fiscus postulat, sed, si ea est quam maxima, certum est, res nostras mirabiliter admodum et constanter appeti; exemplum petit Mac-Culloch ex patria sua Anglia: si Angli propter facultates conficiendi auctas et systema liberae mercaturae merces ex lana confectas ubivis per tellurem ita diffundere possent, et efficere, ut pretium earum diminueretur ita, ut sumtus confectionis ex venditione non restituerentur, tamen sic non efficerent illi, ut forum mundi universi mercibus obrueretur; quoniam commodi proprii cura moneret eos, qui opificia exercent, ut partem sortis in alios usus adhiberent. Non facile per systema libertati favens nimium conficietur omnis generis mercium, quas peregrini requirunt, quodsi id tamen fieret, a confectione mercium exportandarum desistere deberemus et directe merces conficere, quas aliunde importare solebamus.

Jam numerum mercium, quae quotannis conficiuntur, augere, dum a quoque liberatur impedimento et incitatur industria hominum, hoc est primarium propositum, quod quisque Imperans ante oculos habere debet (1):

---

procure à tout le monde, au plus haut degré, la liberté et la sureté des personnes et des propriétés. Cf. Murhard, *Th. und Pol*, II. p. 27 sqq., 30 sq. et p. 215 sqq.

(1) Vid. Mac-Culloch, *Princ. of pol. ec.*, p. 199 sqq. Cf. Murhard, *Th. und Pol.*, II. p. 86 sq.

nimia abundantia fortasse locum habere potest singularis alicujus speciei mercium, sed omnium nimium confici nequit. Vitium tunc latet in eo, quod res ejusmodi sunt confectae, quae hominum desideriis non conveniunt[1], vel quibus ipsi ii, qui res novas conficiunt, uti non possunt. Eae merces autem, quae in forum afferuntur, sunt confectae, ut cum aliis permutentur, si igitur earum nimia est abundantia sponte illud ostendit, defectum adesse mercium earum, quibuscum illae deberent commutari: generalis nimia abundantia adesse nequit et quaeque nimia abundantia unius speciei mercium debet convenire defectui in alia specie: causa ita nimiae abundantiae, ubi ea adest, consistit in malo usu facultatum conficiendi: remedium unicum hujus mali consistit in plena libertate industriae et mercaturae, confectiones rerum, quae damnum afferunt, valde diminuentur, et si locum habebunt, cito aderit remedium: si hucusque pars quaedam industriae sortem nimiam ad se traxerit, id saepe factum est quod praemiis dandis intervenisset Imperans: huic interventioni Imperantis pro maxima parte debentur impedimenta rerum vendendarum propter nimiam abundantiam (1).

(1) Ita quoque Ricardo, *Princ. de l'éc. pol.*, II. p. 51 sqq.: » *La détresse est souvent aussi prolongée par les réstrictions et prohibitions, auxquelles donnent naissance les jalousies absurdes, qui existent entre les différens états de la république commerciale.*» Cf. idem o. l. I. p. 203 sqq. Say, *Cours Compl.*, II. p. 272, hac de re dicit: «*De là cet amas de dispositions législatives et réglementaires, qui a non pas précédé, encore moins occasionné, mais suivi et jusqu'à un certain point entravé, dans les différentes parties du monde, les développemens brillans, qu'ont reçus les arts par d'autres causes.*» Cf. idem o. l. T. II. p. 360 sqq. et 396 sqq. Murhard, *Th. und Pol.*, I. p. 95 et 114, 124 sqq., et T. II. p. 43 sq.

Systema enim restrictivum et prohibitivum societatem e naturali conditione educit, et omnia reddit incerta (1). Lex nihil adjicere potest bonis, quae in regione adsunt, solum potest cogere, ut bona illa adhibeantur in confectionem certarum rerum (2). Jam si lex effecit, ut major sors sit adhibita in has easve res, necessario minor quam par est adhibita erit in confectionem aliarum rerum (3): ita implentur horrea mercibus, quae, si libertas adfuisset, non fuissent confectae: «*The ignorant and the interested,* inquit MAC-CULLOCH, *always ascribe such gluts to the employment of machinery, or to the want of sufficient protection against foreign competition. The truth is, however, that they are the necessary and inevitable results of an artificial and exclusive system of policy, or of the application of those poisonous nostrums, by which the natural and healthy state of the public economy is vitiated and deranged*» (4).

---

(1) Cf. MURHARD, *Th. und Pol.*, II. p. 82 sqq., 437, coll. p. 425 sqq. et idem o. l. II. p. 132 sq. et 216 sq.

(2) Cf. SAY, *Cours Compl.*, II. p. 271. RICARDO, *Princ.*, II. p. 154 sq., p. 159 sqq., 178. MURHARD, *Th. und Pol.*, II. p. 105 sqq.

(3) Quod his verbis exprimit MAC-CULLOCH: «*after a sufficient supply of capital has flowed into these channels, a re-action must commence.*» Cf. MURHARD, o. l. II. p. 158.

(4) Vid. MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. ec.*, p. 200. Cf. MURHARD, o. l. T. II. p. 42, qui ibi media prohibitiva et restrictiva vocat naturae contraria, et industriae et mercaturae perniciosa: impedimenta haec tollenda esse monet *Th. und Pol.*, II. p. 452 sqq.

§ 9. *De rerum distributione.*

Uti vidimus, fuerunt, qui res omnes confectas vendi ideo non posse putarent, quia nimia earum conficeretur copia. Sunt vero alii, qui *distributionem* divitiarum in hoc argumento maxime attendendam esse dicant, profitentes, non nimiam mercium confectionem, sed perversam earum distributionem habendam esse causam calamitatum, quae profluunt ex venditione non satis frequenti aut facili rerum confectarum.

Inter scriptores, qui ab hac sententia non alieni fuerunt, etiam in censum venit MALTHUS: dixit hic scriptor (1): divitiae omnes exinde exsistunt, quod sint multi, qui bona expetunt, quoties hi multi sunt, i. e. quoties valor permutationis adhibet plurium laborem, quam vulgo obtinet, eodemque pretio, rerum confectarum copiam universe auctum iri, exspectare licet: contra, quoties, rerum aestimatarum ratione habita, laboris, qui ad eas conficiendas necessarius est, pretium diminuitur, patet media et voluntatem emendi diminui eodem tempore et voluntatem junctam mediis solvendi pretium locum amplius non habere, in omnibus, quae adsunt, rebus confectis, quarum pars tunc fit superflua (2). Jam incrementum valoris permutationis adest, si rerum distributio optime est comparata ad satisfaciendum iis, quibus indiget societas et ad efficiendum, ut nova excitentur, quibus denuo societas indigere possit (3): si vero haec distributio non recte se habet

(1) MALTHUS, *Princ. d'écon. pol.,* T. II. p. 120.
(2) Vid. MALTHUS, eod. II. p. 120.
(3) Vid. MALTHUS, ll. p. 122.

respectu eorum, quae hominibus sunt necessaria, valor rerum confectarum posset multum diminui. Semper itaque, ut possit adesse incrementum continuum divitiarum neque interruptum, necesse est, ut increscat continuo valor rerum confectarum; valor autem rerum confectarum aestimandus est secundum modum laboris, quem possit adhibere industria, eodem pretio, quo antea: plus laboris enim adhiberi nequit, nisi increscat valor permutationis; si autem adhibetur labor, qui remunerari nequit, labor ille nullius est utilitatis; increscente vero valore, de quo sermo est, sponte patet, majorem posse adhiberi laborem. Jam, ut valor ille possit increscere, vel saltem, ne diminui possit, opus est distributione rerum confectarum, quae convenit, et recta intercedere debet necessitudo inter quantitatem rerum confectarum oblatam et appetitum hominum res confectas sibi habendi (1).

Valor permutationis decrescet, si magna accumulatur sors per diminutionem satis magnam et continuam consumtionis praecipuarum hominum classium, quae in societate inveniuntur, et ita, decrescente valore permutationis, sors potius diminui dici potest, quam accumulari: et tamen negari nequit, parti redituum esse parcendum, ut haec sorti possit adjici, cum sine increscente sorte divitiae majores fieri nequeant. Quo-

(1) Malthus, *Princ.*, II. p. 130, hisce utitur verbis: *«et pour maintenir cette valeur, il faut qu'une distribution effective du produit ait lieu, et qu'il y ait une proportion convenable entre les objets de consommation et le nombre, les besoins et les moyens des consommateurs, ou en d'autres mots, entre la quantité des objets produits et la demande, qu'il y a pour eux.»*

modo igitur parsimonia locum habere potest sine diminutione sortis, quae metuenda est, si accumulatur sors per minorem consumtionem? Liceat hic ipsa Malthusii verba apponere, quo magis manifesta fiat ejus sententia: «*Elle (l'épargne sur le revenu) peut avoir lieu,*» ita inquit, «*et dans le fait c'est ce qui arrive presque toujours, par l'effet d'une augmentation antérieure de la valeur, ou du revenu, et dans ce cas l'économie peut s'effectuer non seulement, sans qu'il y ait aucune diminution de demande et de consommation, mais tandis que la demande, la consommation et la valeur reçoivent un accroissement réel pendant tout le cours de cette opération. Et c'est en effet cette augmentation antérieure de la valeur et du revenu, qui donne à la fois le plus grand encouragement à l'accumulation, et qui la rend capable de favoriser la production constante de la richesse* (1).» Adjicit Malthus (2): «*Le premier indice d'un accroissement des produits, c'est l'augmentation des revenus, et tant que les produits augmentent en valeur et en quantité, par suite d'une distribution bien entendue, et d'une consommation proportionnée à l'approvisionnement, il est évident, qu'une épargne annuelle est compatible avec un accroissement annuel du revenu, et avec une augmentation annuelle de la dépense et de la demande.*»

Aucta copia rerum confectarum, ita porro contendit, et incrementum valoris una ordinario progrediuntur: illa pendet a facultatibus hominum, quae ad indus—

(1) Malthus, *Princ.*, II. p. 130 sqq.

(2) *Princ.*, II. p. 136.

triam faciunt, hoc ab earum distributione: confectio et rerum distributio, justa si sunt relatione, brevi ad summum fastigium mundi divitias et hominum numerum adducere possunt: separatae vero vel non recte conjunctae post millia annorum, solam parvam illam divitiarum partem exsistere et parvum illum numerum hominum adesse sinunt, quales jam in mundo habentur (1).

Alii vero scriptores multo magis etiam in perversam rerum distributionem sunt invecti, maxime MURHARD (2) et DUNOYER (3): hi duo auctores eandem omnino tuentur sententiam; MURHARD enim ipsa DUNOYERI citat verba: sed videamus, quid sentiant. Observant MURHARD (4) et DUNOYER (5): hanc doctrinam firmis niti fundamentis, res confectas emi tantum posse rebus confectis, et quasque res eo facilius posse vendi, quo meliores sint et minori constent pretio; ex hoc vero, quod una res vendatur alterâ, ex eorum sententiâ non sequitur, confectionem unius generis mercium ratione ceterarum vel confectionem omnium non posse esse nimiam, ratione habitâ eorum, quibus indigent illi, qui utendo res consumunt.

Jam itaque, si res vendi nequeunt, putant illi, causam esse quaerendam in mala bonorum inter privatos distributione et in abusu, qui in multis industriae spe-

---

(1) MALTHUS, *Princ. d'éc. pol*, II. p. 144 sq. Cf. RAU, *Malthus und Say*, p. 271 sqq.

(2) Vid. MURHARD, *Theor. und Pol.*, I p. 129 sqq.

(3) In *Revue Encycl.*, T. 34. p. 602 sqq.

(4) In *Op. Theor. und Pol.*, I. p. 129 sqq.

(5) *Revue Encycl.*, t. 34. p. 609.

ciebus saepe obtinet (1). Abusus ille scilicet is est (2), quod inepti saepe simus ad facultates nostras conficiendi recte adhibendas, quod eo semper tendamus, ut extendamus illud, quod suscepimus (3), licet ignoremus, quo modo et quousque hoc fieri possit: ingens sic hominum numerus versatur in conficiendis rebus, qui nesciunt, quibus causis earum circumscripta sit venditio. Certa opus foret notitia ejus, quo indiget societas, eorum, qui idem industriae genus exerceant, mediorumque, quibus uti possint; unde patet, privatum opificem scire recte vix posse, intra quos limites sese movere possit industria sua (4). Accedit huc, quod ii, qui res novas conficiunt, saepius progredi sint coacti in conficiendo res easdem, quia jam possident, quae ad earum rerum confectionem requiruntur, quae inutilia plane forent, nisi ita adhiberi possent.

Frequentior venditio porro non solum a multitudine rerum confectarum pendet, a recta necessitudine, quae inter eas intercedit, sed etiam a ratione, qua hae res divisae sunt in societate (5): si pauci eas res possident, licet maxima rerum adesset copia et optima proportione, ratione habita mercium aliarum, tamen paucae tantum venderentur, quoniam pauci illi, magnis qui gaudent divitiis, paucis modo indigent et cetera pars societatis,

(1) Cf. Rau, *Lehrb.*, I. § 270, coll. 273.

(2) Vid. *Revue Enc.*, II. p. 612.

(3) Cf. Say, *Cours Compl.*, III. p. 48 sq., et in *Revue Encycl.*, T. 23. p. 20 et 27.

(4) Vid. Murhard, *Th. und Pol.*, I. 132. Cf. Rau, *Malthus und Say*, p. 204.

(5) Vid Murhard, eod. II. p. 73 sqq. *Revue Enc.*, t. 24. p. 613 sqq.

cum eo, quod ei superest, pauca modo emere possit: res tunc manent inemtae. Non igitur sufficit, ut multae res et bona inter se necessitudine conficiantur, sed insuper recte etiam debent esse distributae.

Jam experientia docet, paucos nonnullos possidere divitias immensas, dum decies centena millia vix vitam sententare queunt: hac in re maxima sita est causa venditionis difficilioris, et nimiae, quae videtur esse, abundantiae mercium in foro; melior bonorum distributio non solum venditioni earum rerum, quae jam confectae sunt, sed etiam generaliter confectioni novarum rerum locum daret.

Malae hujus distributionis causa non est confectio, neque confectionis abusus (1): fundamentum hujus mali in eo quaerendum est, quod ab initio nihil proprium relictum fuerit numerosissimae classi societatis, in conditione servili viventi, quae multis adhuc adest in regionibus, in tributis et vectigalibus immoderatis, in impedimentis omnis generis prosperitati earum classium et majori cultui oppositis, in legibus, per quas ex diligentia sua lucrum percipere saepe prohibentur industriosi, in doctrina religionis, quae prudentiam omnem ex matrimonio proscribit, in consiliis politicis, quae favent numero nimio populi, in institutis in favorem pauperum, quae ad levitatem adducunt, in domibus lusoriis, in ludis aleatoriis publicis (*loterijen*), quae parsimoniam vetant; nam homines ad majorem adducendos esse intelligentiam et parsimoniam ab iis adhibendam esse, ut miseriam evitent, recte observa-

---

(1) Vid. *Revue Enc.*, II. p. 617.

tum est (1): aliam causam etiam repetunt ex concursu rerum, quo ducti, populi retinentur in conditione perpetua ignorantiae, miseriae et contemptûs: accedunt vitia huic classi propria: hinc procedit perversa distributio divitiarum, quae ita fit causa, ut merces remaneant in foro inemtae, vel ut ii, qui res novas conficiunt, minore pretio eas vendere cogantur, quam par est, et damno afficiantur (2).

§ 10. *De foro sive facultate res vendendi.*

Forum, sive facultatem vendendi Sismondius dicit constitui numero et appetitu emtorum sive eorum, qui utendo res consumunt, nec non etiam reditibus, quos percipiunt, et consumtione, quam peragunt: fori haec essentialia varia sunt vario tempore. Ita illa varietas mercium impedit vel accelerat venditionem: varietates has cognoscere est perquam difficile: at unus tamen est modus, quo ad cognitionem illam satis recte tendi potest: scilicet, comparatione institutâ pretii, quod exigit is, qui vendit, cum pretio oblato ab emtore. Haec comparatio secundum lucrum aut damnum, quod offert, incitare venditorem debet ad augendam vel diminuendam confectionem rerum novarum (3). Omnes etiam merito secundum comparationem eam institutam operas suas regunt, sed, quum ignorent, quousque se

---

(1) Ita etiam anonymus in opere *Resultate des Machinenwesens* etc., cap. 19.

(2) Cf. Say, *Cours Compl.*, III. p. 57 sqq., et Murhard, *Theor. und Pol.*, II. *Vierte Abtheilung. Zweites Hauptst.* 2. absnitt. p. 287.

(3) Vid. Sismondi, *Nouv. pr.*, I. p. 327 sqq.

extendant conamina ceterorum, fere semper modum illi excedunt (1). Hoc ne fiat optandum est, ut appetitus hominum res confectas sibi habendi laborem moderetur opificis: consumtio enim non egreditur reditus omnium; si hi augentur, augetur etiam consumtio, et commercium obtinet magis extensum; ut vero reditus accrescant, non sufficit, ut permutatio locum habeat, sed reditus revera debent esse novi, comparati per parsimoniam, et adhibiti eo modo, ut gignant rerum novarum confectionem, quas alii appetant et requirant: quoties enim mutantur tantum homines, qui reditus percipiunt, toties tantum excipiunt in consumtione alios, quorum reditus nempe ad illos transierunt (2). Cum autem quisque moderetur laborem suum secundum sortes, de quibus disponere potest, mercibus forum obruitur, et nova rerum confectio causa fit ruinae (3).

Omnes autem civitates, in quibus rerum confectio superat earum consumtionem, tendunt ad fora aliena, et, cum horum limites sint ignoti, videntur haec se extendere in infinitum (4): jam vero animadversum est, forum totius mundi esse limitatum aeque ac illud uniuscujusque civitatis: quod igitur observavimus commercium internum non posse extendi, nisi per prosperitatem publicam et incrementa redituum nationalium, idem verum

---

(1) Cf. Sismondi, *Nouv. princ.* I. p. 331.

(2) Vid. Sismondi, o. l. II. p. 452, o. l. I. p. 355 et 398. Cf. id. o. l. I. p. 104 sqq. I. p. 113 sqq. G. von Gülich, *Ueber die gegenw. Lage des eng. und deutsch. Handels*, p. 33 sqq. 40. 93 sqq., et 210 sq.

(3) Cf. Sismondi o. l. I. p. 363 sqq. II. p. 410 etc.

(4) Cf. Sismondi, o. l. I. p. 406, et von Gülich, *Ueber die gegenw. Lage* etc., p. 175 sq.

est de foro mundi universi. Ita incrementum frequentis venditionis universalis non nisi ex bono universali aucto provenit. Facultas igitur vendendi omnino augeri potest per progressus cultus et humanitatis, prosperitatis, securitatis et salutis nationum barbararum. Semper itaque facultas vendendi augeri tantum potest per novos reditus, quorum ope homines sibi comparare possunt novas res, quibus indigent, et emere, quas nos iis vendere volumus (1).

Paulo aliter se habet doctrina MALTHUSII, qui contendit (2), facilitatem confectionis maxime tendere ad facultatem vendendi augendam (3); ita commoda ex usu machinarum percipienda (4) pendent a facultate vendendi merces et ab incremento consumtionis; non enim, quae tendunt ad confectionem faciliorem reddendam, videntur admovere stimulum satis magnum ad augendas continuo divitias publicas, nisi simul par adsit desiderium rerum confectarum (5); quoniam commercium limitatum se opponit voluntati et facultati consumendi, quae necessariae sunt ad pretium sustentandum et ad efficiendum, ut rerum confectarum appetitus accrescat, et sortes exsistant, quae inservire debent ad eas conficiendas. Quo magis itaque commercium sive externum sive internum se extendit, eo magis augetur pretium rerum confectarum et incrementium lucri ab

(1) Vid. SISMONDI, *Nouv. pr.*, I. p. 361. sqq.

(2) Vid. MALTHUS, *Princ. d'écon. pol.*, II. p. 119 sqq.

(3) Cf. MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. ec.*, p. 184 sqq. et 453. RAU, *Lehrb.*, I. § 120, coll. § 159, nª. C.

(4) Cf. MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. ec.*, p. 119 sqq. RAU, *Lehrb.*, I. §. 119 sq.

(5) Vid. MALTHUS, *Princ. d'éc. pol.*, II. p. 188 sqq.

unoquoque privato ita percepti considerari debet, tanquam augens eadem ratione valorem rerum confectarum nationalium; ita enim augentur una cum sorte nationali reditus, qui limitant appetitum hominum res sibi habendi, internum et externum, nec non etiam ita adest incrementum valoris permutatorii. Hic valor, si augetur, valde facit ad excitandum continuo industriam. Quoties vero confectio rerum novarum nimia est, ratione habita appetitûs hominum res eas sibi habendi, venditio impedita est, reditus nationalis diminuitur, qui tunc eandem quantitatem laboris eodem pretio praestare nequit, et progressus ita cessat divitiarum. Impedita venditio itaque locum habet propter abundantiam rerum confectarum, quarum valor diminutus est multum ratione habitâ laboris. Facultas ita non amplius est adhibendi eundem numerum opificum, et effectus est, quod deficiat appetitus laboris rerum confectarum, et sortis, quem defectum concomitatur miseria.

Secundum Ravium aliae causae vim exercere possunt in facultatem vendendi (1). Potest, ita dicit, commercium inter nationes impediri tam bellis, quam imperiorum institutis et consiliis; potest alius populus majore cum successu vires suas ad industriam quamdam applicare, ita ut alius populus suas merces illi non amplius vendat. Ita potest accidere, ut forum mercibus obruatur et vendendi facultas desit. Res et tempora itaque haec secundum doctrinam Ravii habenda sunt inter causas, quae efficiunt, ut omnia, quae confecta sunt, vendi aliquando nequeant.

(1) Vid. Rau, *Lehrb.*, I. § 417. Cf. Murhard, *Th. und Pol.*, II. p. 428 sqq.

Huic Ravii sententiae favet etiam Ricardo, qui contendit (1) regionem etiam ditissimam expositam esse rebus adversis et calamitatibus, quae ad breve tempus oriuntur ex translatione sortium ab una collocatione in alteram (2). Quoties industria ita decrescit, illi, qui in conficiendis rebus versantur, quae amplius cum lucro confici nequeunt, magna subeunt damna, et haec mala sentiuntur non solum tempore ipso mutationis, sed etiam per omne tempus quod praeterierit, donec nova collocatio sortium locum habuerit, et homines adhibiti fuerint ad aliud industriae genus.

Haec mala etiam, quod vulgo non satis attenditur, sentiuntur in iis regionibus, in quas olim alia civitas, in qua difficultates illae jam locum haberent, merces suas mittebat. In regionem enim diu importari nequit, nisi et ipsa exportet, uti neque exportare posset diu, nisi in eam etiam alii merces importarent. Si igitur aliquid accidit (3), quod impedit quominus merces peregrinae numero solito in eam importentur, necessario confectio in ea etiam diminuitur earum rerum, quae olim exportabantur: collocatio itaque sortis

---

(1) Vid. Ricardo, *Princ. de l'Éc. Pol.*, II. p. 48 sqq.

(2) Ricardo, ll. inquit: «*La demande des manufactures dépend non seulement des besoins, mais encore du goût et du caprice des acheteurs. Un nouvel impôt peut aussi détruire les avantages comparatifs, qu'un pays retirait auparavant de la fabrication d'une certaine marchandise*» etc., et pag. 51: «*Une guerre qui éclate, ou une paix qui succède à une longue guerre, occasionne en général une grande détresse dans le commerce.*» Cf. Murhard, *Theor. und Pol.*, II. p. 49 sq. et p. 119 sqq., inprimis p. 428 sqq., de toto hoc Ricardii loco. Cf. porro *Resultate* etc., p. 187 sqq.

(3) Cf. Murhard, *Theor. und Pol.*, II. p. 79 sqq. et p. 134 sq.

fieri debet alia, quae damni existit causa (1): dum enim nova fit collocatio eâ ratione, quâ maxime lucrum gignere videatur, secundum rerum et temporum mutationem magna sors fixa est, quae usum non praebet vel est deperdita, et opifices satis laboris non habent, unde vivant. Tempus, per quod se extendit haec miseria, magis vel minus erit longum, uti tardius aut citius multi derelinquunt illud industriae genus, in quod soliti erant sortem adhibere. Saepius autem prorogatur etiam id tempus per restrictiones et prohibitiones, quibus locum dat invidia, quâ diversae classes in se invicem feruntur, aut quas legislatorum imprudens sapientia excogitavit. Miseria proveniens ex tali mutatione confunditur saepe cum eâ, quae comitatur diminutionem sortis nationalis et decrescentem civitatis florem: attamen, si miseria haec oritur postquam a bello ad pacem transiit populus, praesumi possunt sortes caeterum destinatae ad sustentandos opifices a cursu earum ordinario esse deductae, et sperare licet, nationem brevi ad pristinam prosperitatem redituram esse (2).

In regionibus divitibus miseria inde orta major erit quam in pauperibus, in quibus minor valor in sorte fixa consistit et major pars in quotidianos usus adhibetur; nam non adeo difficile est retrahere sortem hujusmodi ex ejus collocatione quam sortem fixam.

Haec autem mutatio collocationis locum tunc etiam habebit, quando nova collocatio plus lucri offert quam praecedens (3). Sors quidem sic ex usu non retrahetur,

(1) Vid. Ricardo, *Princ. de l'Éc. Pol.*, II. p. 51 sqq.
(2) Cf. Rau, *Malthus und Say*, p. 286 sqq.
(3) Vid. Ricardo, *Princ.*, II. p. 60 sqq.



nisi adhiberi possit modo magis lucroso, sed opifices, qui ex sorte illa mercedem accipiebant, eam jam non recipient porro. Possunt ita vel in agricultura vel in opificiis homines nonnulli sortis partem amittere usurpando novas rationes mercium conficiendarum, at nova media sic adhibebuntur, per quae augebitur confectio: et sic prosperitas augebitur communis, licet parti societatis ad tempus saltem damnum quid inde oriatur (1).

Animadvertit tandem Ricardo (2): «*La culture des terres, ainsi que tous les autres commerces, surtout dans un pays commerçant, est sujette à une réaction, qui dans un sens opposé, succèdera à l'action produite par une forte cause existante. C'est ainsi que, quand la guerre interrompt l'importation du blé, la hausse de prix, qui s'ensuit, attire les capitaux vers l'agriculture, par l'appât de gros profits qu'un tel emploi présente. Il en resultera probablement, qu'il y aura plus de capital employé, et qu'il sera apporté au marché plus de denrées du sol qu'il n'en faut pour la demande du pays. Dans ce cas le prix du blé tombera par l'effet de la surabondance en occasionnant beaucoup de détresse parmi les cultivateurs, jusqu'à ce que le terme moyen de l'offre se trouve au niveau avec celui de la demande.*» (3).

---

(1) Cf. Murhard, *Th. und Pol.*, II. p. 80 sq.

(2) Vid. Ricardo, *Princ.*, II. p. 63.

(3) Iti etiam Murhard, *Theor. und Pol.*, II. p. 436 sq.: «*Sind Wirthschaffung und Verkehr wieder in die Bahn zurück gekehrt, woraus sie die Zeitkonjunctur verdrängt hatte, dan müss auch die Handelsstockung wieder aufhören, und die Volcksnoth, welche daraus hervorgegangen, allmählig wieder abnehmen. Die Zeit ist hier das beste und wirksamste Heilmittel.*»

Generale hoc proposuit principium Vir Cel. Say (1): «*Les produits en général peuvent se multiplier et s'acheter les uns par les autres jusqu'à un terme, qu'on ne saurait assigner positivement et qui dépend des circonstances locales de chaque pays; que passé ce terme certains produits deviennent trop chers pour que l'utilité, qui est en eux, soit suffisante pour indemniser leurs consommateurs du sacrifice, qu'il faudrait faire pour se les procurer. Ils cessent dès-lors de pouvoir être produits, de pouvoir être vendus et de pouvoir conséquemment offrir par leur vente, des débouchés pour de nouveaux produits.*» Quatuor hujus rei possunt esse causae, et res eo facilius vendi possunt, quo minorem vim illae exerceant. 1ª. Causa est: si homines non satis sunt exculti, ut ea sibi necessaria ducere possint, quorum satisfactioni res confectae sunt aptae: 2ª. si ars merces conficiendi, ipsa opificia minus sunt exculta, quam ut res parvis sumtibus possint confici: 3ª. vitia publicae administrationis nimium aliquando augent sumtus opificiorum: 4ª. denique obtinet, si excessus numeri civium exhauserit quantitatem rerum, quae idoneo pretio comparari poterant, tunc enim eaedem res ocmparari amplius non possunt, nisi sumtibus tantis, ut pretium, quod iis respondeat, pro iis non possit solvi. Has itaque causas notat Say, quae efficere possunt, ut pars rerum confectarum maneat inemta, aut, licet vendantur omnes, venditio certe damnum referat ipsi venditori (2).

---

(1) Say, *Cours Compl.*, II. p. 16 sqq.
(2) Cf. Say, *Cours Compl.*, T. II. p. 12 sqq. T. III. p. 268 sqq.

§ 11. *De consumtione.*

Tradituri sumus hoc § opiniones nonnullorum scriptorum de nostra quaestione, ratione habitâ consumtionis: scilicet, si res nonnullae confectae nimiâ adsunt abundantiâ, hujus rei causam nonnulli sibi visi sunt invenire in confectione non satis magnâ aliarum rerum, uti vidimus; alii autem contendunt eam sitam esse in consumtione non satis magnâ, et hanc ob rem putabant partem rerum confectarum fieri superfluam.

Ita MALTHUS videtur statuere (1): si sors, inquit, adhibita olim ad laborem non utilem, jam convertitur in laborem utilem, et appetitus hominum res sibi habendi, ratione habitâ rerum confectarum, non augetur simul eodem gradu, sequitur, civitatem opificiis praeditam possidere debere homines, qui ipsi nihil conficiunt, et utendo consumunt res ab aliis confectas. Horum numerus conveniat cum soli fertilitate, nationis facultatibus et cum gradu et modo consumtionis ipsarum rerum confectarum. Si, qui ipsi res novas conficiunt, non habent facultatem vel voluntatem satis magnam consumendi, tunc, quando alii non adsunt, qui utendo consumunt res confectas, debent ipsi vel consumere plures res novas, quam opus est, vel res novas minore numero conficere (2); ita divitiae nationales dammum

(1) Vid. MALTHUS, *Princ.*, II. p. 212 sqq.

(2) Vid. MALTHUS, II. p. 225: «*Il est donc clair que les producteurs propriétaires et les capitalistes, quoiqu'ils aient les moyens, n'ont pas la volonté de consommer autant, qu'il le faudrait: et quant à leurs ouvriers, il faut en convenir, que, s'ils en avaient la volonté, ils n'en auraient point les moyens.*» Cf. SISMONDI, *Nouv. Pr.*, Livre II. ch. 3. p. 77 et 82.

pati debent, cum autem res confectae sunt abundantiâ ita magnâ, ut quantitas sufficiens earum non consumatur, sortis, quae ex parsimonia acquiritur, hic erit effectus, ut abundantia earum augeatur etiam, et diminuantur lucra jam parva; haec sors autem sic relative non potest esse nisi parvae utilitatis. Ab alterâ parte, si lucra sunt magna, hoc certum est signum, res confectas minore adesse numero, ratione habitâ appetitûs hominum res sibi habendi; sic, si media res conficiendi augentur, quum parti novi reditûs per magna lucra parcitur, quae sorti adjicitur, tunc illud incrementum afferet commodum certum et continuum: sors itaque, quae ex parsimonia acquiritur, restringenda est ad summam, quae adhiberi potest ad satisfaciendum appetitui hominum res sibi habendi; hic autem appetitus ut adsit, debet adesse consumtio sufficiens sive opificum ipsorum, sive etiam aliarum classium (1). Jam si illorum consumtio non sufficit, quomodo tunc satis consumetur, nisi et ii consumant, qui ipsi non conficiunt? hi etiam quâcunque in civitate adsunt: quaestio itaque est, utrum hae classes, consumentes quae dicuntur, considerandae sint tanquam eripientes civitati quantitatem rerum confectarum, et partem adimentes facultatis sustentandi populum, an vero faveant contra confectioni, et tendant ad augendas divitias publicas eo gradu, quem sine consumtoribus illis non attigissent (2).

Jam Malthusii est sententia: sortem posse esse nimiam, et cum mores et consuetudines classium, quae

---

(1) Vid. Malthus, *Princ.*, II. p. 218 sq.
(2) Vid. Malthus, *Princ.*, II. p. 233 sqq.

conficiunt res novas, ex ejus opinione, eas non adducant ad consumtionem satis magnam, tuetur doctrinam, classem, quae nihil ipsa conficit, esse necessariam (1): «*pour mettre en jeu*» ut inquit, «*l'activité requise pour donner un entier développement à ses ressources physiques.*» Bonae mercium distributioni et appetitui hominum res confectas emendi multum hae classes consumentes favent: causae ita existunt divisionis proprietatum, quae magis favent divitiarum progressibus, praebent consumtionem, quam necessario requirit confectio, et cupiditas iisdem voluptatibus fruendi, licet tributa sint solvenda, multum excitare debet saepe conamina industriae. Ita MALTHUS sibi visus est probasse utilitatem classis, quae nihil conficit (2); adjicit tamen, eam modum excedere non debere, et quovis tempore eam convenire oportere facultatibus, quae in populo ad res novas conficiendas aptae exsistunt, «*et le résultat,*» inquit, «*le plus favorable dépend évidemment de la proportion entre les consommateurs productifs et les consommateurs improductifs, qui est la mieux adaptée aux ressources naturelles du sol et aux goûts et habitudes de la nation*» (3).

Aliter se habet doctrina a RAVIO prolata (4): contendit, laborem, per quem res novae conficiuntur, non posse extendi sine adhibitis impensis gravioribus; atqui hae sortem requirunt: quamdiu res confectae nondum

(1) Vid. MALTHUS, *Princ.*, II. p. 237 sqq.

(2) Vid. MALTHUS, o. l. II. p. 255.

(3) Ab hac sententia RAVIUS non alienus est in: *Malthus und Say*, p. 229—246.

(4) Vid. RAU, *Lehrb.*, I. § 119 et 318 sqq.

sunt venditae, sors ad alium laborem adhiberi nequit: adhiberi ea sic demum potest, cum pretium rerum novarum iis est restitutum, qui eas conficiunt: quo major itaque est quantitas rerum, quae venduntur, eo major est opportunitas confectionem earum augendi: concurrit ita consumtio ad propositum, quod oeconomia politica probat, attingendum (1), aeque ac rerum confectio: imo inter has maximum est vinculum, quoniam, uti consumtionis incrementum locum habere potest tantum per praecedentem rerum confectionem, ita haec etiam continuari nequit, nisi res confectae consumantur, et ita opus est novâ confectione: confectio autem nonnihil potest esse major quam consumtio: «*nämlich um so viel als bei gleichem Verbrauche, der Gebrauchsvorrath und das stehende Capital eine grössere Gütermenge aufzunehmen in Stande sind*» (2).

Oblatio autem circumscribitur quantitate rerum omnis generis confectarum, uti appetitus hominum res novas sibi habendi quantitate pretiorum, quae ex venditione rerum confectarum percipiuntur (3). Si jam rerum aliqua species majore adest quantitate, quam necesse est, pars earum manet inemta, quo casu etiam facultas emendi res alias diminuitur: ita, si pars rerum alicujus generis manet inemta, etiam res alîus generis emtoribus carebunt (4). Si res minimo pretio venduntur, etiam earum venditores tot res emere non possunt, quot poterant antea. Credi nequit, omnium bonorum

(1) Rau, o. l. § 72. Cf. Murhard, *Th. und Pol.*, II. p. 76 sq.
(2) Vid. Rau, *Lehrb.*, I. § 327.
(3) Vid. Rau, o. l. § 329.
(4) Cf. Murhard, *Theor. und Pol.*, II. p. 133.

simul nimiam confici quantitatem, nam, cum cupiditas hominum augendi voluptates ex bonorum usu percipiendas, sit infinita, et consumtio limitetur tantum reditu a singulis percepto, consumtio ipsorum opificum augeretur unâ cum eorum facultate emendi, si major esset rerum omnium abundantia (1).

Potest ita adesse confectio nimia singularum nonnullarum rerum: hujus rei causam latere putat RAVIUS, non ut MALTHUSIUS (2), in nimis parvâ consumtione generali, ita ut accedere debeant ii, qui utendo res novas tantum consumunt, et novas ipsi non conficiunt: sed 1°. in mercaturâ speculationis nimis auctâ, quod maxime est perspicuum in mercaturâ externâ (3); 2°. in messibus aliquando ditissimis; 3°. in non exspectatâ diminutione consumtionis, quae efficit, ut rerum multitudo, destinata ad emendas has merces, in alium finem adhibenda sit (4). Ii itaque, qui cum damno vendunt, ab industriâ suâ recedere debent et ad aliam se convertere, quae majorem utilitatem affert, ut ita neces-

---

(1) Vid. RAU, *Lehrb.*, I. § 330, ubi notâ B dicit: «*Es giebt also keine allgemeine Ueberfüllung eines Landes mit seinen Erzeugnissen, und wenn irgendwo die Preise aller Waaren gesunken wären, so dürfte man schliessen, dass diess aus einer ganz anderen Ursache, nämlich aus einer Veränderung im Geldwesen herrührte Handelstockungen, so ferne sie aus einem übermässigen Angebote entspringen, sind immer nur auf einem Theil der Waaren beschränkt.*» Cf. *Malthus und Say*, p. 208 sqq.

(2) Uti et MONTESQ., *Esprit des Lois*, livr. VI. c. 4.

(3) Vid. RAU, *Lehrb.*, § 330. Cf. l. l. nota C.

(4) RAU, l. l. coll. notâ D. 3 b. «*bei einer beträchtlichen Erhöhung der Staatsabgaben müssen die Einzelnen sich einen Theil ihrer bisherigen Genüsse versagen.*» Cf. *Lehrb.*, I. § 431, et SAY, *Cours Compl.*, III. p. 208.

situdo inter rerum confectionem et ea, quibus consumtio indiget, rursus intercedat bona (1): haec autem necessitudo, secundum Ravium, dicenda videtur probanda, si consumtio partem reditûs ex confectione provenientis adhibet, ut ita res confectae vendi possint, pars vero reliqua per parsimoniam augeat sortes, quâ confectio rerum futura ita possit augeri simul cum consumtione. Secundum hunc igitur auctorem consumtio, quae res utendo plane delet, et ad nihil non conficiendum ducit, minime est augenda (2); hanc enim tunc tantum innoxiam putat, si ea ne attingit quidem summam reditûs puri, et ita facultatem relinquit magnis parcendi sortibus, quae semper increscere debent, propter augmentum rerum, quibus indigent homines, majoris eorum cultûs causâ, et perfectionem majorem opificiorum, quae praecipue majorem exigunt sortem fixam.

Mac-Cullochius etiam minime favet doctrinae: consumtionem, quâ res utendo plane pereunt, esse excitandam: illam enim sententiam erroneam vocat (3). Contendit vero, hominem ad conficiendum incitari, quando cito res suas confectas vendere potest: hoc est, quando eas facile cum aliis permutare potest: hinc incrementum industriae verum non situm est in auctâ consumtione imprudenti et dilapidatrice, sed in augmento ipsius confectionis: fieri enim posse negat, ut appetitus laboris augeatur sine augmento sortis: per parsimoniam autem augeri sortem, quâ auctâ, augeri appetitum laboris, incolas sic magis quam antea esse

(1) Vid. Rau, *Lehrb.*, I. § 331 sqq.

(2) Vid. Rau, *Lehrb.*, I. § 334. Cf. Say, *Cours Compl.*, III. p. 266.

(3) Vid. Mac-Culloch, *Princ. of pol. Ec.*, p. 532 sqq. coll. p. 513 sqq.

instructos mercibus utilibus et necessariis et numerum quoque eorum accrescere: contrarium vero obtinere, ubi adest dilapidatio et immoderata consumtio.

Ejusdem sententiae fautor exstitit RICARDO: vidimus eum contendere, sortes quam maxime esse augendas, et lucra oportere reddi aequalia per venditorum concursum. Jam contendit (1) hoc incrementum duabus tribui posse causis, vel augmento reditûs vel diminutioni consumtionis, et sic, dicit, sorte auctâ, divitiae civitatis revera accrescent. Eodem autem, secundum ejus auctoris opinionem, redit, quomodo hoc incrementum locum habeat. Dicit: «*il importe tout autant au bonheur des hommes, de pouvoir augmenter leurs jouissances par une meilleure distribution de travail, que de parvenir au même but par un accroissement dans le taux des profits, et cette distribution est toujours meilleure, lorsque chaque pays produit les choses, qui s'accordent le mieux avec son climat, sa situation et ses autres avantages naturels ou artificiels et qu'il les échange pour des marchandises des autres pays.*»

Neque magis favet magnae consumtioni Vir Clarissimus SAY, qui refert (2): ipsum opificem incitare alios ad res conficiendas pro modo valoris eorum, quae confecit ipse: homo enim tanquam opifex augere potest res confectas sed tanquam is, qui tantum utendo res novas delet, non potest. Res confectae vero non excedunt consumtionem (3): si enim quisque multum conficit,

(1) Vid. RICARDO, *Princ.*, I. p. 198 sqq.
(2) Vid. SAY, *Cours Compl.*, III. p. 265.
(3) Vid. SAY, *Cours Compl.*, III. p. 268 sq.

multum etiam consumere potest: quamdiu non, unoquoque possidente omnia quae appetit, nemo amplius habeat, quod desideret, dici nequeunt res confectae nimiae adesse (1). Porro ea, quibus indiget natio, differunt gradu pro modo cultûs et humanitatis. Natio facta ditior et magis exculta alia habet, quibus est satisfaciendum, quam inculta gens. Historia etiam hujus rei praebet documenta. In posterum idem accidit: nova erunt, quibus nationes indigebunt, ita confectiones fient etiam novae (2). Lucra e rebus, quae materie et corpore non constant, profecta, infinite incitant confectiones omnis generis. Earum consumtio est illimitata, quoniam eò magis natio indiget, quo magis est exculta. Earum rerum igitur, quae materie et corpore non constant, confectores (3) sunt distinguendi ab iis, qui utendo tantum res consumunt et ipsi nihil conficiunt: illi enim valorem dederunt societati, quem permutarent cum lucro: hi vero consumtionem petunt ex abusu, populo nihil dant, quo indemnis servetur pro eo, quod recipiunt: neque causa exsistunt majoris appetitûs hominum res novas sibi habendi, quoniam si non consumerent quod receperunt, illi, qui tributa solvere debent, illud consumerent. Paulo aliter hac de re antea censuisse videtur SAYUS: opera eorum, ita ratiocinatur (4), qui res conficiunt, quae materie et corpore non con-

(1) Cf. HURHARD, *Th. und Pol.*, II. p. 86.

(2) Vic. SAY, *Cours Compl.*, III. p. 271.

(3) Quod dicit SAY, *Cours Compl.*, III. p. 271: «*Le producteur immatériel a rendu un service, a donné une valeur à la société, en échange de ses profits.*»

(4) *Traité d'Écon. Pol.*, 3 édit. I. 116 sqq.

stant, quidem valere potest ad lucra praebenda, sed adjicit: «*De la nature des produits immatériels, il résulte, qu'on ne saurait les accumuler, et qu'ils ne servent point à augmenter le capital naturel.*» Augendo itaque operam eorum, qui res conficiunt, quae materie et corpore non constant, nihil efficitur, quo publice faveatur prosperitati: augendo enim hoc genus laboris, consumtio simul eodem tempore augetur eodemque modo.

Multo magis itaque in opere recentiori, quod citavimus, favet rerum confectioni, quae et materie corpore non constant, quam in scriptis, quae illud praecesserunt. Quo magis ita homines conficiunt, eo magis consument, et cujusque consumtio conveniens erit ei, quod possidet. Si autem quis novum sibi comparavit reditum, videbit, utrum novam partem consumat eo modo, ut nihil novi inde oriatur, an sorti eam adjiciat, si sorti adjecta magis prodest: «*C'est ce qui augmente sa valeur,* inquit Say: *car des capitaux accrus reclament de nouveaux travailleurs et les occupent constamment, tandis qu'une somme stérilement dépensée ne les occupe qu'une fois.*» (1),

§ 12. *De tributis et vectigalibus.*

Tributis et ceteris oneribus, quae a populo exiguntur, universe non favetur: attamen non desunt etiam, qui tributis et vectigalibus commoda quaedam adscribant.

Doctrina Sismondii et Malthusii hac de re eodem

---

(1) Vid. Say, *Cours Compl.*, III. p. 272 sqq.

fere redit. Profitentur scilicet, tributa ceteraque onera habere magnam utilitatem, si non nimis sunt gravia. Dicit enim SISMONDIUS (1): possunt sortes nimis accumulari ratione habitâ appetitûs aucti laboris, quem praestari curant; tunc eodem tempore eo plures res conficiuntur, quo minore numero consumuntur: inaequalitas magna ita aderit inter rerum confectionem earumque consumtionem. Jam fortasse tributa magna et vectigalia sunt necessaria ad triplex illud aequilibrium restituendum inter confectionem et rerum consumtionem, inter sortes et opus, quod expetunt homines, et inter sortes et reditum, qui inde nasci debet (2). Forte est certa quaedam epocha in progressibus nationum, quâ talis destructio divitiarum, quae jam adsunt, est necessaria, ut industria, quae novas res procreat, iterum possit vim exercere: id fiet per tributa moderata. Quodsi nimis augentur tributa, revera malum magnum afferre possunt propter diminutionem reditûs: imo, inquit SISMONDI, non est opulentia quantumvis magna et splendida, quae non succumbat oneri tributorum et vectigalium (3).

Secundum MALTHUSIUM utilia sunt tributa, si eorum summa et modus, quo exiguntur, conveniunt facultatibus industriae alicujus populi: nam victum praebent illa magno numero hominum, qui proprio labore suo ad res novas conficiendas non concurrunt. Sic efficiunt, ut consumtio necessaria et distributio conveniens adsint

---

(1) Vid. SISMONDI, *Nouv. Pr.*, II. p. 247 sqq.

(2) Cf. MALTHUS, *Princ.*, II. p. 236 sqq.

(3) Vid. SISMONDI, *Nouv. Pr.*, II. p. 244—249. MALTHUS, *Princ.*, II. p. 239 sq.

ad incitandum rerum confectionem et industriam. Nam consumtio illa et distributio aeque necessariae sunt ad augendas continuo divitias atque media res novas conficiendi (1).

Cohaeret argumentum, de quo jam sermo est, cum debito publico, hanc maxime ob rationem, quoniam quotannis eo nomine usurae sunt praestandae, quae solvuntur ab ipsis incolis civitatum, quae ita sunt obaeratae: jam hae usurae solvuntur a civibus, tributorum nomine, neque mirum itaque, MALTHUSIUM, cum loqueretur de tributis et vectigalibus, argumentum etiam eodem loco tractasse de debito publico: illud lente diminuendum censet neque augendum in posterum, propterea, quod nonnulla sunt incommoda, quae tributa comitantur: adjicit tamen, civitatem, assuetam rerum distributioni, quae locum dedit usui magnarum facultatum res novas conficiendi, non posse ad aliam rerum distributionem se convertere, nisi exsistat epocha, quâ magnae sit exposita miseriae (2).

Alii vero multo minus favent tributis aliisque hujus generis oneribus. Inter eos est RAVIUS qui contendit (3), mutuam rationem, quae intercedit inter consumtionem, quâ res novae conficiuntur, et eam, quâ res utendo plane

(1) Vid. MALTHUS, *Princ.*, II. p. 24 sq., et 211 sqq. p. 238 sqq.

(2) MALTHUS, o. l. II. p. 246 sqq.

(3) RAU, *Lehrbuch*, I. § 333, n°. 3 sqq., multo magis SISMONDII et MALTHUSII adversarii exstiterunt RICARDO, *Princ.*, I. p. 272, qui dicit: «*L'impôt, sous quelque forme qu'il soit assis, n'offre le choix qu'entre plusieurs maux.*» SAY, *Cours Compl.*, I. p. 226, qui refert: «*Elle (la levée des contributions) est incontestablement une atteinte portée à des propriétés légitimement acquises; mais il faut bien contribuer d'une partie de son bien, pour assurer la conservation de l'autre.*»

pereunt, definiri inter alia magnitudine et qualitate consumtionis, quam instituit ipsa civitas, atque hanc dicit plerumque esse talem, quâ novae res non conficiuntur: hanc vero tunc demum non esse perniciosam putat, cum non excedit reditum, qui deductis impensis superest, sed locum relinquit parsimoniae satis amplae, ut sortes possint augeri.

Jam porro profitetur (1), esse utile, si illi, qui ex tributis victum quaerunt et qui sumtibus civitatis adhibentur, ut eam administrent, pro bono, quod civitati afferunt, justo ornentur honorario, sed posse fieri, ut, qui publicae rei partes curant, nanciscantur honoraria nimia, quae non respondeant commodo, quod civitati affertur. Quoniam autem consumtio alicujus nationis ejus fit ex reditu, statuendum videtur secundum Ravii sententiam, tributa et vectigalia posse exigi, quoties non nimia sunt et cives iis non premuntur, ita ut attingatur simul prosperitas publica, oeconomiae politicae praecipuum propositum: hoc enim officium incumbit Imperantibus, ut omnia adhibeant ad illud propositum adsequendum, quod nequit, quoties tributis et vectigalibus exigendis nimiis efficitur, ut loco prosperitatis quam maxime generalis adsit ubique miseria.

Quod ad hujus § argumentum Mac-Culloch hanc probat sententiam (2): «*It is not*, inquit, *competition, but it is the encrease of taxation, and the necessity under which a growing society is placed of resorting to soils of less fertility to obtain supplies*

---

(1) Vid. Rau, *Lehrb.*, I. § 336. Cf. Say, o. l. II. p. 226 sqq., et T. IV. p. 78 sqq.

(2) Vid. Mac-Culloch, *Princ. of pol. ec.*, p. 482 sqq.

of food, that are the great causes of that reduction in the rate of profit, which usually takes place in advanced periods.» Has lucri diminutionis causas alio loco dicit (1) ad exemplum MALTHUSII «*of such magnitude* (2) *and power as finally to overwhelm every other.*»

Nullà, inquit porro (3), est causa, cur populus aliquis sibi metuat ab iis, qui eadem opificia, vel mercaturam exercent, cum quisque sibi possit persuasum habere, se lucrum capturum ex quâque inventione, cujus effectus est minor difficultas conficiendi et diminutio confectionis sumtuum: sed diminutio confectionis internae industriae nocet (4) *conditioni absolutae* et *relativae* populi; h. e. conditioni absolutae, quâ solum illum populum respicimus, de quo sermo esse possit, nullâ ratione habitâ aliorum etiam populorum, et conditioni relativae populi, in quâ rationem habemus etiam aliorum populorum. Haec autem di-

(1) Vid. MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. ec.*, p. 487, coll. p. 493 sqq.

(2) Ita et RICARDO, *Princ.*, I. p. 241 sq.: «*Il n'est point d'impôt, qui ne tende à empêcher l'accumulation, car il n'en est aucun, qui ne gêne la production. L'impôt a les mêmes effets, qu'un sol ingrat, un mauvais climat, une diminution d'habileté ou d'activité ou la perte de quelques machines utiles.*» Idem fere SAY, *Cours Compl.*, IV. p. 117.

(3) Vid. MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. ec.*, p. 505.

(4) Ita quoque RICARDO, *Princ.* etc., I. p. 240 sq.: «*à mesure que le capital d'un pays diminue, ses productions diminueront nécessairement, et par conséquent, si le gouvernement et la nation continuent à faire les mêmes dépenses pendant que la réproduction annuelle décroit, les ressources du peuple et de l'état déclineront avec une rapidité toujours croissante et la misère et une ruine inévitable en seront les suites.*» Cf. eod. I. p. 307 sq. Cf. SAY, *Cours Compl.*, IV. p. 88 sqq. MURHARD, *Theor. und Pol.*, II. p. 305 sq.

minutio ostenditur per diminutionem lucri, quae lucri diminutio praebet modum, secundum quem definire possimus diminutionem confectionis et industriae internae. Diminutio lucri efficit, ut decrescat populus potentiâ et auctoritate et ut populi, qui cum eo concurrunt, divitiis et auctoritate praecedant: neque aptitudo, neque diligentia, neque opificia, quam maxime perfecta, possunt resistere efficacitati fatali et debilitanti, quam exercet lucri percepti exiguitas, ratione habitâ aliarum gentium, quae majus lucrum percipere possunt. Neque unquam in oblivionem abire debet, lucri exiguitatem oriri ex quocunque systemate et instituto, quod per exclusionem mercium peregrinarum vel aliquo modo homines cogit ad terras colendas steriles, antequam necessitas sponte eo cogit et efficitur ita, ut per artes adhibitas pretium rerum augeatur (1). Hanc autem exiguitatem impediri demum posse censet per systema liberae mercaturae et maximam parsimoniam in expensis publicis (2). Maximi est momenti, ut parsimonia adhibeatur a parte Imperantis, nam alioquin populus ad inopiam redigeretur ejusque vires frangerentur, imo inquit Mac-Culloch: «*But economy on the part of governments, though more difficult to practise, is of*

---

(1) Ricardo, *Princ.*, I. p. 330: «*Mais un impôt sur le produit des mines d'or doit, en élevant la valeur de ce métal, en réduire nécessairement la demande et doit par conséquent nécessairement détourner les capitaux de l'emploi auxquels ils étaient consacrés.*» Cf. Say, *Cours Compl.*, II. p. 15 sqq., et III. p. 31 sqq. IV. p. 117 sqq.

(2) Ricardo, *Princ.*, I. p. 425: «*Il n'y a pas de cas où l'impôt ne diminue les jouissances de tous ceux sur qui il tombe en définitif et il n'y a d'autre moyen d'augmenter de nouveau ces jouissances que l'accumulation d'un nouveau revenu.*»

infinitely greater importance, than economy on the part of individuals. A private gentleman may, inasmuch as he is the master of his own fortune, dispose of it as he pleases. — But government can, with propriety, do none of these things. It is merely a trustee for the affairs of others, and it is consequently bound, to administer them as economically as possible. — Economy in expenditure is, upon all occasions, the first virtue of government and the most pressing of its duties» (1).

Multum vero diminui putat Ricardo damnum, quod secundum alios per tributa infertur societati; dicit enim: «*Si un contribuable* (eo redit sententia Ricardii) *paie* 100 *francs au gouvernement, le gouvernement possède* 100 *francs de plus à dépenser en place du contribuable*» (2). Sed ad hunc locum abservat Say (3), hinc quidem effici, ut summa tota redituum societatis non sit diminuta, sed cum expensae auctae sint confectionis per integram, quae tributorum nomine solvi debent, pecuniam, iidem reditus emere amplius nequeunt eandem rerum confectarum quantitatem. Secundum hujus auctoris sententiam etiam hoc habent incommodum tributa, quod efficiant, ut confectio transferatur in alias res tributo non oneratas: «*mais*, «inquit Say l. l., «*n'est-ce point un grand inconvénient que de détourner l'industrie de sa pente naturelle?*

(1) Vid. Mac-Culloch, *Princ. of pol. ec.*, p. 535. Cf. Say, *Traité d'Éc., Pol.*, 5me ed. Paris 1820. T. III. p. 70 sq., et *C. Compl.*, IV. p. 59.

(2) Ricardo, *Princ.*, ch. XVI. T. I. inprimis p. 420 sq.

(3) Vid. Say, *Cours Compl.*, IV. p. 118 sqq.

Un pareil changement n'entraîne-t- il pas de grandes pertes de capitaux etc.» (1).

§ 13. *Generaliter proponuntur singulorum doctrinae.*

Uti eo magis quisque intelligere possit, quamnam doctrinam tueantur singuli auctores oeconomico-politici, de quibus jam vidimus, supervacuum nobis non visum est, brevem eamque generalem expositionem hîc subjicere doctrinarum, quas singuli professi sunt. Ita enim optimè consuletur perspicuitati, et facilius ita apparebit, quibusnam in partibus a se invicem recedant.

Quod ad Sismondium attinet, generaliter de eo animadvertere licet, eum maxime ipsam nostram quaestionem in opere laudato saepius ante oculos habuisse, quum eam ita tractet, ut affirmet, revera mercium nimiam posse haberi copiam, ita ut vendi nequeant. Proprium quid, ut ita dicam, hoc est doctrinae ejus, quod plena sit querelis circa nimiam confectionem rerum novarum, et circa omnia ea, quae favent incrementis industriae. Hinc minus occupatus fuit in exponendis viribus et effectibus laboris (*les pouvoirs du travail*) quam quidem in ostendendo *abusum*, qui earum fieri potest, *excessum*, ad quem rerum novarum confectio duci potest, *periculum* systematis libertati

(1) Cf. Murhard, *Theor. und Pol.*, II. p. 310 sq.: «*Nothwendig muss der Uebertritt einer so grossen Gütermasse aus dem Besitze der Privaten in den Besitz der Regierung einen höchst bedeutenden Einfluss äussern, so wohl auf den Umfang als auf die Richtung des Verkehrs. Immer und überal muss daher die Besteuerung als ein mehr oder minder mächtiges Hinderniss der möglichst volkommnen Entwicklung des Handels betrachtet werden.*»

faventis et venditorum concursui, quod cum ad summum gradum excitet facultates industriae, idem illud est, quod rerum novarum confectionem nimiam reddere potest, quod, verbo, gignit omnes calamitates ex hac abundantiâ oriundas: confectio rerum novarum itaque ei visa est non augenda, imo restringenda per media nonnulla ab Imperante adhibenda, ut ita habeatur progressus industriae omnibus numeris absolutus, qui lento gradu, sed pari passu, ambulat.

Malthusii doctrina agnoscit utilitatem sortium accumulationis, laudat machinarum aliorumque quibus confectio mercium extenditur inventionem: sed rerum confectionem considerandam semper esse putat ratione habitâ consumtionis earum: confectionem rerum majorem solam satis valere ad efficiendum incrementum continuum divitiarum negat. Nempe si res multae conficiuntur, eae quidem numero multum accrescunt, sed earum pretium propter venditorum concursum et minores sumtus multum decrescet: ita autem valor universus permutationis totius rerum quantitatis non est auctus, imo saepe minor, quam olim erat: jam ubi pretium permutationis non accrescit, ubi est defectus voluntatis res consumendi nec non facultatis lucrosas adhibendi permutationes, ibi forum mercibus obruitur et progressus divitiarum cessat: haec miseria tunc provenit ex malâ distributione rerum confectarum, quoniam accrescere reditus possunt per incrementum lucri, non vero per diminutionem consumtionis propter pretium vile rerum confectarum: ut igitur hoc malum avertatur necesse est, ut una cum increscente rerum confectione accrescat appetitus hominum res novas sibi

habendi i. e. hominum voluntas juncta facultati res novas emendi, qui appetitus potius praecedere debet novam rerum confectionem. Ita pretium rerum vile non redditur et valor permutationis totius rerum quantitatis accrescit: ut vero talis possit exsistere effectus necesse est, ut adsit aequilibrium quoddam inter rerum confectionem earumque consumtionem, cui originem dat bona rerum distributio, ad quam promovendam optime facit certus numerus eorum, qui, nihil ipsi conficientes, utendo res ab aliis confectas consumunt, major vel minor secundum gradum, quo civitas iis indigeat, divisio proprietatis soli, mercatura interna et externa. Aucto ita valore permutationis per confectionem rerum magis extensam et per consumtionem majorem, divitiae nationis accrescere pergere possunt. Forum obruitur generaliter propter rerum confectarum abundantiam, quarum omnium valor permutationis diminutus est, quoniam consumtio non satis magna adest, propter defectum eorum, qui utendo res consumunt. Valore permutationis ita diminuto, facultas diminuta est laborem adhibendi eundem, eundemque numerum opificum, cujus facti effectus est, ut deficiat appetitus laboris, rerum confectarum, et sortis, quem defectum concomitatur miseria.

Ab his doctrinis quam maxime differunt ceterorum sententiae et opiniones, et primo quidem, si duo jam dicti auctores admittunt generalem omnium rerum nimiam abundantiam, ceteri tantum eam admittunt pro parte; abundantiam scilicet, nimiam rerum nonnullarum specierum. Ita enim putant Rau, Ricardo, Mac-Culloch, Say, Murhard et alii, qui etiam suae sen-

tentiae longe alias proferunt causas; dicunt enim: divitiae oriuntur tantum ex rerum confectione et media, quae ei favere possunt, quantum fieri potest, sunt adhibenda: res confectae autem inter se commutantur; jam itaque si alicujus rerum speciei nimia est abundantia, haec documentum praebet alîus speciei rerum non satis magnum numerum adesse: ceterarum itaque rerum specierum augeatur quantitas et evanescet illius speciei nimia abundantia, cujus tunc quantitas tota commutari potest cum aliis rebus. Agnoscunt vero hi auctores alias etiam causas nonnullas ex peculiari conditione singulorum populorum orientes: ita ortum belli, pacem contractam, verbo vicissitudines facultatis et voluntatis emendi et vendendi, quae omnia secundum eorum sententiam efficere possunt, ut adsit aliquando nimia nonnullarum rerum abundantia, quae veró ita tantum est particularis et ad brevet empus. Dicunt: vicissitudines hae et numerus semper fluctuans eorum, qui conficiunt et eorum, qui utendo res ab aliis confectas tantum consumunt, admodum reddunt difficile negotium, cognoscere res ipsas, quas, et modum, quo civitas eas expetit.

Accidere tunc potest, ut alicujus speciei adsit nimia abundantia: hac autem existente causâ, cur diminuatur earum rerum pretium, efficitur, ut nonnulli ad aliarum rerum confectionem se conferant. Abundantia haec ita brevi non amplius aderit, et aequilibrium rursus restituitur inter res confectas ipsas. Iidem aliam esse causam pronuntiant: nempe impedimenta, quae opponunt imperantes et leges liberae mercaturae et venditorum libero concursui per prohibitiones et restrictiones, quas

observandas curant: ita imprimis Mac-Culloch, Say, Murhard, Ricardo, Dunoyer, Rau et Anonymus in opere: *Resultate des machinenwesens* (1). Non possum, quin pauca praeterea adjiciam de Ravii sententiâ, quod attinet ad nostram quaestionem. Generaliter etiam nunc ejus exposuimus doctrinam, qualis ea habetur in opere ejus recentiore (*Lehrbuch der pol. Oek.*) Aliud vero etiam citavimus opus (*Malthus und Say* etc.), quod illud praecessit: in hoc autem non eandem plane doctrinam tuitus est, ac ea est, quae in illo exponitur. Ita in hoc non tantopere accumulationem sortium, divisionem laboris et machinas probat, neque concursui venditorum eundem tribuit effectum, ac in recentiori opere: cum Malthusio probat doctrinam: in civitatibus nonnullas adesse debere classes, quae, nihil ipsae conficientes, tantum consumtioni vacant. Generaliter in opere, de quo jam sermo est, multo magis favet Malthusii doctrinae quam Sayi: ita v. c. loquitur jam in initio libri (2): «*An Lebhaftigkeit und Gewandheit der Darstellung ist* Say *dem Britten überlegen, der dagegen in Ansehung der Umsicht und Reife jenen übertrift und sogleich viel praktischer ist*» etc. Sed editum est hoc opus anno 1821: alterum autem 1826. Statuendum itaque videtur, Ravium primum multo magis Malthusii tuitum fuisse doctrinam, deinceps vero magis magisque ad Sayi accessisse sententiam.

Murhard et Dunoyer aliam sibi visi sunt invenisse causam in perversâ divitiarum distributione, quae fre-

(1) Cujus auctor creditur esse Lord Brougham.

(2) Rau, *Malthus und Say, Vorrede*, p. x.

quentem venditionem mercium non permittit. Bona itaque rerum distributio accedere debet ad rerum copiam et bonam necessitudinem, quae inter res ipsas confectas intercedit: quoniam, si pauci magnis gaudent divitiis, hi tamen paucis tantum indigebunt, et cetera pars societatis cum eo, quod sibi superest divitiarum, paucas tantum merces emere potest: accidere ita etiam potest ut res maneant inemtae. Malae hujus distributionis origo quaerenda est in conditione ipsius societatis, qualis ea habetur, in impedimentis, quae se opponunt saluti et majori cultui classium hominum; in tributis et vectigalibus, malis legibus, etc. Distributio opum itaque, quantum fieri potest est promovenda, et calamitates tot amplius non aderunt.

Generaliter ita singulorum tradidimus doctrinam, ita tamen ut satis accurate inde effici posse videatur, quid singuli sentiant. Jam vero videor mihi accedere posse ad Caput III, in quo, quid de variis illis sententiis existimandum videatur, breviter significare conabor.

CAPUT III.

QUID DE SINGULORUM DOCTRINIS PROPOSITIS VIDEATUR EXISTIMANDUM.

Videmur nobis ita exposuisse, quid praecipui scriptores nostro de argumento sentiant: transeundum itaque est ad Caput III, quo, uti notavimus jam supra, paucis dispiciendum erit de sententiis propositis, quid nobis de iis existimandum videatur. In hoc Capite autem eundem fere servaturi sumus ordinem, quem in Capite secuti sumus superiori, cum de singulis argumentis allatis sententiam qualemcunque nostram proposituri simus.

§ 1. *De sortium incremento et parsimoniâ.*

Non possum, quin cum Sismondio fatear, nationem florere, si quisque per laborem suum non solum sibi potest comparare, quo absolute indigeat, sed etiam vitae nonnullas voluptates. Attamen in eo ab illo dissentiendum videtur: quod ille hoc necessarium dicat, ut natio florere dici possit, quum etiam ea florere dici

pósse videatur, quae progressus facit ad conditionem talem sibi comparandam, qualem eam descripsit Sismondi; quae certe mihi dicenda videtur summum floris fastigium. Quod vero attinet ad ipsum hujus paragraphi argumentum, fateri debeo, me minime posse facere cum iis, qui sortes nimias adesse posse putent, uti contendunt Sismondi et Malthus: de illâ horum sententiâ igitur primum videndum est, de ceteris postea videbimus.

Primum itaque Sismondi putat, discrimen interesse inter casum, quo opifices desiderant victum propter sortes dilapidatas, et casum, quo, ex consequentiâ sortium majorum, opifices nimio numero adsunt, ita ut miseriam patiantur. Sed hîc distinguendum non putaverim: utroque casu, si nonnulli miseriae sunt dediti, hoc tribuendum videtur defectui sortium, quae primum praebent reditum earum possessoribus, secundo quam maxime ad confectionem concurrunt, ita ut ex hac praeterea enascantur novi reditus: hae sortes, haec confectio laboris adhibendi facultatem praebebunt opificibus miseriae deditis, dum contra reditus inservire debent ad res confectas consumendas. Quod autem ad effectus attinet sortium majorum, quae a Sismondio dicuntur, haec videntur animadvertenda: 1°. Si plures adsunt sortes, et contendunt inter se de sortium collocatione domini, usurae pro sortium usu praestandae fient minores. Sed observandum, licet tunc v. c. pro centum florenis minor rependatur usura, tamen, quoad totam quantitatem sortium, reditus non erunt minores, cum, si adsunt majores sortes, eo plura etiam adsint centena florenorum, de quibus usura solvenda est. Ita propter sortis totius magnitudinem, quantitas redituum

diminuta non erit, licet usura pro centum florenis solvenda minor fortasse facta fuerit. Praeterea quo majores sunt sortes, eo facilior, eo major potest esse rerum confectio, et eo vilius est pretium rerum confectarum. Reditus ita increverint ratione habitâ ipsarum rerum confectarum, quia tunc plures res confectae quam antea eodem pretio emi possunt: idem reditus ita plures praestabit voluptates: 2°. quod ad illud: per majores sortes effici, ut homines res conficiant numero majore, quam ut consumi possint et contenti sint lucro minore, quam opus est, animadvertere liceat: nos modo ostendisse, lucrum perceptum pro quâque merce venditâ vel pro centum florenis praestitis, quod minus jam est, quam antea, compensari per magnitudinem sortium, per confectionis incrementum et per illud etiam, quod reditus relative accrescunt, i. e. ratione habitâ rerum confectarum, quae reditibus sunt emendae; jam si res non consumuntur, hoc non fit, quia non sunt, qui consumere velint; adsunt enim semper adhuc, qui omnibus fere rebus carent, certe iis valde indigent, quae jam conficiuntur; sed ad consumendas eas res requiritur, ut eas emere possint; jam ut emtio obtinere possit, necesse est, ut emtores pretium quoddam pro re emendâ rependere possint; hoc autem quo majus est, eo pauciores homines illud praestare possunt, et contra etiam, quo vilius est, eo plures homines emere possunt, itaque si pretium nonnullarum rerum est diminutum, eo plures homines eas ement: necessitudinem inter diminutionem pretii et numerum emtorum ita se habere refert Say ut, si pretium usque ad tres quartas partes diminuitur pretii anterioris, numerus emtorum fere

increscat in duplum (1). Haec sententia omnino recte se videtur habere; homines sibi comparant generaliter voluptates, quantum possunt: qui itaque possunt frui aliquâ re ab eâ sibi comparandâ non desistent, et quoniam multo plures sunt homines, qui vilius praestare possunt pretium ad rem sibi comparandam, quam qui majus rependere possunt, sponte patet, diminuto pretio augeri numerum emtorum, quoniam, pretio diminuto, non solum ii ement, qui majus possunt rependere pretium, sed etiam ii, qui propter diminutionem pretii jam etiam facultatem habent res emendi iisque fruendi: ex hoc autem ratiocinio patet, quomodo, confectione auctâ per majores sortes, usurâ ex singulis mille florenis solvendâ et lucro cujusque rei confectae diminutis, tamen inde reditus non diminuantur, homines voluptatibus paucioribus minime fruantur quam antea, imo mercium major obtineat consumtio, quae majore numero quam antea sunt confectae (2). Augeantur itaque sortes et parti redituum suorum parcant homines, ut, si fortasse adsit numerus aliquando paulo major hominum, haec pars redituum, quae servata est, iis operas praestandi praebeat facultatem: non enim puto aliquando non esse, in quo collocentur sortes; recte enim SISMONDII adversarii videntur monuisse, tot et tantas

---

(1) Elegantur admodum SAY hoc nobis probat, exemplo pyramidis; nempe quo altius secatur pyramis, eo augustiores erunt fines, quibus sectionis superficies coarctatur; pari modo crescente rerum pretio, simul decrescet numerus eorum, qui eas sibi emere possunt, saltem ii, qui eas utendo consumunt, pauciorum rerum usu fruentur. Vid. SAY, *Cours Compl.*, T. II. p. 39 sq.

(2) Cf. etiam cons. A. A. DEL COURT, spec. *de Nundinis*, p. 12.

superesse sortes collocandi opportunitates, ut semper novae sortes adhiberi adhuc possint, et profiteri non dubito: si quando quis nesciat, ubi sortem suam collocet, factum hoc non obtinere ideo, quia non adsunt novae collocationes, in quas homines sortes suas erogare possint, sed ideo, quoniam ipse earum est inscius; sibi itaque majorem comparet hujus rei notitiam et brevi inveniet, ubi sorte suâ utiliter et cum lucro uti possit (1). Natio enim semper magis magisque vires suas explicare et se excolere potest, semper potest progredi; natio enim nulla est tam stulta, tam superba, ut dicere possit, se progressus amplius facere non posse: hoc enim, ut fateri possit, summum perfectionis fastigium attingere debuisset: libenter ita fateor cum MURHARDO: ultimos limites parsimoniae utilis esse quaerendos in conditione quam maxime perfectâ agriculturae totius terrae et industriae omnium in eâ hominum habitantium, quos limites post saecula nondum attigerint (2).

Neque magis cum MALTHUSIO facere possum: consumtio enim, cui locum dant homines adhibiti in labore, ex quo novae res proveniunt, stimulum admovet sufficientem ad incrementum et collocationem sortis: nam, singulae res licet fortasse minore constent pretio, tota earum quantitas majorem habet valorem. Rerum confectio enim plerumque felici gaudet successu, et tanquam exceptiones considerandi sunt casus, si aliquando confectores damnum patiuntur; hoc nisi obtineret, non

---

(1) Cf. Cons. P. W. A. GREVELINK in spec. oec. pol. jur. *De summi Imperantis curâ quae dicitur indirecta, in industriâ promovendâ*, L. B. 1832. p. 162.

(2) MURHARD, *Theor. und Pol.*, I. p. 142.

accrescerent divitiae, quas tamen generaliter augeri videmus quotidie. Per confectiones rerum ita augentur reditus, consumtio ita etiam minime diminuetur, imo major fiet, nempe increscet illa, quâ res utendo plane pereunt: et si homines parti redituum parcunt adhuc, haec aeque consumetur, sed ejus consumtio erit directa tantum in alia objecta, quam quae consumebantur antea, uti merito observarunt RICARDO, SAY aliique.

Si autem pars maxima rerum confectarum permutatur cum labore, sive res novas procreante, sive eas non procreante, aut saltem cum iis, quae ex eo labore prognata sunt, uti contendit MALTHUS, tunc obtinet permutatio, in quâ ab unâ parte stat labor, ab alterâ res confecta; jam haec permutatio eo magis est lucrosa, quo plures res confectas idem profert labor: tunc enim pro minore pretio quisque iisdem vel etiam pluribus gaudet rebus confectis, quam antea, et si quem alium laborem impendere potest, insuper eum alium in finem adhibeat, ut exinde novum sibi comparet lucrum vel novam voluptatem. Notavit etiam MALTHUS (1) nonnullos errores, quos admisisse adversarios suos refert, sed dicendum videtur: MALTHUSIUM multo majori jure ejusdem erroris accusari posse, quem putat admissum ab adversariis: nempe quod non consideraverit res confectas ratione numeri civium et necessitatis eorum, qui res consument. Ad haec enim si respexisset, non dixisset: si accrescit rerum novarum quantitas et numerus eorum, qui eas consument, manet idem, cum diminutione eorum, qui -

(1) *Princ.*, II. p. 41.

bus indigent propter parsimoniam ab iis adhibitam, valor rerum novarum diminuitur, et licet tunc eadem laboris quantitas sit impensa, quam antea, in rerum novarum confectionem, eae eandem quantitatem laboris debitâ mercede rependere nequeunt: sed dixisset: increscens rerum confectarum copia novos praebet reditus et sortium incremento locum dat, nova ita oriuntur media, quibus homines se sustentare possunt: horum effectus est, ut novi in vitam vocentur homines, ita ut eorum numerus augeatur (1). Increscit

(1) Exemplum praebet G. von Gülich, in tabulis scripto adjectis: *Ueber die gegenw. Lage* etc., p. 232 sq., dicit hic de Anglia: *Es ergeben sich aus der vorstehenden Tabelle etwa folgende Verhältnisse:*

Die Erzeugung des Ackerbaues erweiterte sich von 1750 *bis* 1832 *in dem Verhältnisse von* 7 *zu* 25.
Die Erzeugung der Eisenwerke » » » 1788 » 1832 *in dem Verhältnisse von* 1 *zu* 7.
Die Erzeugung der Wollmanufacturen » » » 1788 » 1832 *in dem Verhältnisse van* 7 *zu* 11.
Die Erzeugung der Baumwollmanufacturen » » » 1788 » 1832 *in dem Verhältnisse von* 2 *zu* 9.
Die Erzeugung der Seidenmanufacturen » » » 1811 » 1832 *in dem Verhältnisse von* 1 *zu* 4.
Der Ausfuhrhandel stieg von 1750 *bis* 1832 *in dem Verhältnisse von nicht völlig* 1 *zu* 3.
» *Einfuhrhandel* » » 1750 » 1832 » » *von* 1 *zu* 5.

Videmus ita, agriculturam, opificia, mercaturam ibi permagnos fecisse progressus: jam tenendum quid de populi Anglici numero idem dicat eodem loco:

Die Bevölkerung von Grossbritannien stieg von 1750 *bis* 1811 *in dem Verhaltnisse von* 2 *zu* 3;
und von 1811 *bis* 1821 *in dem Verhältnisse von* 3 *zu* 4.

ita quantitas rerum, quibus hi novi homines indigent. Pars ita rerum confectarum non redditur superflua, neque valor rerum adeo diminuitur, ut eadem laboris copia non amplius cum fructu adhiberi possit: sed effectus est, ut hominum numerus increscat et maxima eorum pars melius sit instructa omnibus iis, quibus indigent, vel quae facere possunt ad nonnullas iis praebendas vitae voluptates (1). Ex iis, quae jam nunc diximus, patet, totius rerum confectarum copiae partem non posse adesse superfluam; nam id si eveniet, cito majore numero nascentur homines, qui impediunt quominus nimia rerum confectarum adsit copia. Animadvertit praeterea MALTHUS: fieri posse, ut res confectae inter se eodem habendae sint respectu, quo erant antea, quod attinet ad laborem adhibitum unâ cum sorte et tamen voluntatem unâ cum facultate hominum res confectas sibi habendi non sufficere ad incitandam confectionem continuam earum, quo in appetitu ratio non solum est habenda oblationis unius rei confectae permutandae cum aliâ, sed etiam numeri eorum, qui res confectas utendo sunt consumturi et gradûs, quo illi rebus indigent. Hoc autem

---

Die Bevölkerung von Irland stieg von 1750 *bis* 1811 *in dem Verhältnisse von etwa* 1 *zu* 2,
und von 1811 *bis* 1832 *in dem Verhaltnisse von* 3 *zu* 5.

Anno enim 1750 numerus Magnae Brittanniae incolarum erat 8,000,000 anno autem 1832 16,700,000; numerus populi Hiberniae anno 1750 constabat 2,373,000, anno vero 1832, 7,900,000. Si quis vero queritur de miseriâ multorum hominum earum insularum incolarum, cognoscere studeat leges institutaque ibi vigentia, nec non tributa, quae ibi exiguntur, et miseriae causam statim inveniet.

(1) Cf. cons. P. W. A. GREVELINK, *de Summi Imperantis curâ* etc., p. 163 sq.

licet ei facile concedere possimus, quod attinet ad singulas rerum species, tamen quoad omnes res unâ sumtas minime verum est. Scilicet, quod ad singulas rerum confectarum species attinet, obtinere potest, ut earum nimia conficiatur copia, uti recte monuit Say, cujus sententiam hac de re supra exposuimus (1), exemplum proponens de nimiâ copiâ pileorum, quam confectam fingeret tempore Ludovici XIV in Franciâ. Res ita unius speciei vel nonnullarum specierum nimio numero possunt confici, et ratio habenda est in unâquâque rerum specie numeri eorum, qui res confectas utendo consumturi sunt, et gradûs, quo hi rebus confectis indigent. Quod vero attinet ad totam rerum confectarum copiam, vidimus eam numquam dici posse nimiam. Itaque ratione habitâ totîus rerum confectarum copiae non opus est, ut spectemus numerum eorum, qui res utendo sunt consumturi et gradum, quo rebus indigent, nam si tota rerum confectarum quantitas est aucta, nova etiam aperta sunt media se sustentandi, sic numerus hominum increscet, qui tunc novis et pluribus rebus confectis rursus indiget.

Quod attinet ad pigritiam humanam et amorem quietis, quos monet attendendos Malthusius, animadvertere licet: secundum nostram sententiam, generaliter dici posse homines vulgo omnes intendere vires ad conditionem suam quam optimam reddendam ex amore sui; hunc vero longe superare pigritiam et amorem quietis efficacitate suâ et vi in mentem humanam. Praeterea ipse Malthusius nequaquam sibi videtur constare, cum re-

(1) Cf. supra C. 2. § 4.

prehendere videatur pigritiam eorum, qui rerum confectioni operam praestant, et commendet pigritiam eorum, ut ita dicam, qui confectioni operam non navant, et consumturi sunt tantum res ab aliis confectas.

Tertiam ejus animadversionem fundamento etiam carere putamus, dicit nempe rumpi aequilibrium inter rerum confectionem earumque consumtionem, si supponimus, accumulationem sortium creare appetitum res sibi habendi et facultatem res sibi comparandi et consumtionem in opificibus, qui adhibentur ab iis, qui, ut sortes accumulare possint, parsimoniae student, et ita eos, qui confectioni operam praestant, locum dare appetitui hominum res sibi habendi, qualem illum esse oportet i. e. tali appetitui, qui effectus est voluntatis et facultatis pretium rependendi satis magnum pro re confectâ, ita ut satis incitet ad augendam confectionem (1): supra autem vidimus, reditus fieri majores si accumulantur sortes, et novos ita nasci homines; si itaque rerum confectio augetur, augetur simul numerus eorum, qui consumturi sunt, qui omnes unâ sumti etiam de majore, quam antea, redituum quantitate disponere possunt, ideoque habent voluntatem et facultatem consumendi: videtur itaque statuendum esse: homines nihil habere, quod sibi metuant ab incremento nimio sortium, quale illud a Sismondio et Malthusio dicitur; huic sortium incremento autem

(1) Dicit Malthus, o. l. II. p. 36: « *Une troisième erreur c'est de supposer que l'accumulation assure la demande, ou que la consommation des ouvriers employés par les individus, dont le but est d'économiser, crée une demande réelle de denrées, suffisante pour encourager l'accroissement soutenu de la production.* »

9*

tanquam rei salutari quam maxime esse favendum (1).

Tuemur ita doctrinam eorum, qui putant sortes nimias nusquam adesse, earum augmenta prodesse, ut eo magis universi homines iis sint instructi: pauca vero videntur h. l. adjicienda: Non putamus cum RICARDO (2): *«que la valeur échangeable des objets produits est proportionnée au travail employé à leur production immédiate; mais de plus à la fabrication des instrumens et machines nécessaires à l'industrie, qui les a produits.»* Non putamus porro, quod idem etiam contendit scriptor: valorem relativum certarum mercium i. e. valorem certarum quarumdam mercium ratione habitâ aliarum, quae cum illis sunt permutandae, non mutari propterea quod salaria majora vel minora facta sunt, vel propterea quod usura, rependenda pro usu sortium, increvit vel diminuta est (3). Statuendum vero videtur: sumtus confectionis primarium constituunt pretii elementum, quoniam, si sumtus non restituuntur, ii, qui confectioni operam dant, damnum patientur, ita ut diu in earum rerum confectione versari nequeant: contra si negotium quoddam magnum praebet lucrum, concursus eorum, qui idem lucrum appetunt, efficit, ut lucrum illud diminuatur, donec sit magis conveniens et fere aequale celeris lucris, quae vulgo ex opificiis et artibus percipiuntur. Accedunt vero etiam quaedam alia, quae in pretium rerum vim magnam exercent: hujus generis sunt: tempora et causae variae, conditio hominum sive eorum, qui res confi-

(1) SAY, *lettre* 2e post MALTHUSII opus *Princ.*, p. 59 sqq.

(2) Vid. RICARDO, *Principes* etc., I. p. 25 sqq.

(3) Vid. RICARDO, *Princ.*, I. p. 39.

ciunt sive omnium, qui consumunt et alia quaedam: ita fieri potest; ut pretium rerum aliquando sit majus, aliquando minus, quam earum exigunt expensae, licet negari nequeat rerum pretium eo vulgo tendere, ut sit consentaneum impensis confectionis et idoneum, quod novae locum dat confectioni (1).

Hujus loci non est inquirere, quis tandem futurus sit finis omnis accumulationis: utrum salaria adeo increverint propter majus pretium rerum necessariarum, ut non nisi minima pars relinquatur, ex quâ usuram obtinebunt sortium possessores, an alia causa incremento sortium finem impositura sit; hoc constat, hodie minime nimias esse sortes easque intra aliquot saecula certe nimias non fore: hoc itaque sufficiat.

Contendit etiam RICARDO, incrementum vel diminutionem lucri pendere tantum a salariis. Sed etiam hac in re ratio habenda videtur aliqua rerum et temporum quae accedunt, quae efficere possunt, ut modo majus, modo vilius pro rebus confectis rependatur pretium.

Quod attinet ad hypothesin illam, quâ fingit, quemque renuntiare usui rerum, quae ad luxum sunt comparatae et solam cogitare sortium accumulationem, ita ut sic possit adesse copia rerum necessariarum ab omni parte abundans, animadvertendum videtur: hypotheses esse solere valde periculosas: constituunt illae errorum fontem uberrimum: singuli enim tales proponunt hypotheses, quae suae maxime conveniunt doctrinae: ita fit, ut saepius tales fiant hypotheses, quales

(1) Vid. RAU, *Lehrb.*, I. § 168. Cf. § 189.

in vitâ communi numquam exsistere possunt, vel ut saepius supponatur, quod probandum foret revera adesse posse (1). Caute itaque sunt adhibendae, neque aliae, quam quae conveniunt iis, quae in vita communi locum habere possunt, quaeque non repugnant rectae rationi certoque quodam nituntur fundamento. Ejusdem sententiae videtur esse SAY in epist. ad MALTHUS post hujus opus p. 82, ubi reprehendit MALTHUSIUM dicentem: «*Mais si l'on se mettait au pain et à l'eau pour ne point employer ses épargnes,*» ad hoc dicit SAY: «*C'est-à-dire que vous supposez, qu'on s'imposerait généralement un jeûne extravagant, par plaisir et sans dessein.*»

«*Que repondriez-vous;* ita pergit SAY, *Mr. à celui, qui mettrait au nombre des dérangements, qui peuvent survenir dans la société le cas, où la lune viendrait tomber sur la terre? — Je soupçonne que vous seriez tenté de trouver un peu d'impertinence dans cette question, et je vous avoue, que vous me sembleriez excusable.*»

De eodem argumento ipse SISMONDIUS ait. (2). «*Il n'y a peut-être aucune manière de raisonner, qui expose à plus d'erreurs, que celle, qui consiste à se faire un monde hypothétique tout différent du monde réel pour lui appliquer son calcul*» et GANILH (3): «*Supposer qu'un propriétaire, qui tire* 100 *écus de sa propriété soumise à la culture la plus savante, lui en fera rapporter* 110 *en la convertissant en pâ-*

(1) GANILH, *Syst.*, I. p. 211.

(2) SISMONDI, *Nouv. pr.*, II. p. 383.

(3) GANILH, *Syst.*, I. p. 226.

ture, un des modes de culture les moins productifs, c'est créer des chimères.»

Merito itaque exemplum addit RICARDO, quo probat, suam etiam hypothesin locum non habituram. Quod ad cetera attinet, quae notarunt scriptores citati ad hoc argumentum iis libenter suffragor.

§ 2. *De divisione laboris et machinis.*

Brevitati ut consulamus, de doctrinâ SISMONDII peculiariter hîc non agemus, sed provocabimus ad doctrinam SAYI supra expositam de hoc argumento, qui nobis videtur SISMONDIUM plane refutasse. Multa omnino sunt, quibus se commendet doctrina SAY: et veritati ita videtur congrua, ut ei omnino videatur assentiendum, inprimis ubi dicit: «*Il y dans tous les pays où l'industrie manufacturière est tres développée, des momens, où l'ouvrage ne va pas et où la classe ouvrière tout entière est en souffrance. Ce malheur ne tient point non plus à l'emploi des machines, mais à la nature des produits manufacturés, qui sont en général exposés à de grandes vicissitudes dans la demande qu'on en fait.*» (1).

Ex dictis vero jam patet, non metuendum esse cum MALTHUSIO, ut frequentior rerum confectarum venditio non comitatura sit usum machinae, vel ut sortes in alios usus conferri non possint (de cujusmodi novâ collocatione sortium infra dicendi erit opportunitas) vel ne vile pretium rerum confectarum ansam daturum sit

(1) SAY, *Cours Compl.*, I. p. 242.

majori parsimoniae potius, quam majori consumtioni, unde putat MALTHUS, effectum usûs machinarum fore, ut sortes et homines multi adhiberi non possint amplius. De quaestione ipsâ, utrum consumtio sit augenda, ut adesse possit incrementum continuum divitiarum nec ne, postea agemus.

MAC-CULLOCHII doctrina multum convenit cum doctrinâ SAYI. Paululum vero ab eo differt, quod commutationem operae, ad quam se conferre debent opifices, cui commutationi saepe machinarum usus dat locum, unicam esse earum difficultatem, eamque satis levem contendit. Merito autem alii difficultates plures recensuerunt easque duxerunt graviores in quibus certe inprimis nominanda est necessitas sortes in novos aut alios saltem usus adhibendi (1).

Rectius ita quam SISMONDI et MALTHUS ceteri, quos citavimus scriptores, machinarum commoda perspexerunt; consentiunt etiam in ipso cardine quaestionis; nempe fatentur posse fieri, ut adsit nimia abundantia nonnullarum mercium, sed eam esse temporariam, idque, si fit, tunc huic causae tribui oportere saepius, quod ab alterâ parte non adsit sufficiens aliarum mercium confectarum copia, quâ ementur illae, quarum jam venditio deficit, quo circa confectio ita non erit nimis magna, sed potius nimis parva. Machinas itaque nos utilissimas esse censemus, neque magnam mercium copiam exinde orientem causam habemus malorum, quae sentiuntur, quando res confectae omnes vendi

---

(1) SAY, *Cours Compl.*, I. p. 239 sqq. RAU, *Lehrb.*, I. § 403, coll. § 171 sq.

nequeunt (1); causam enim hujus rei sitam esse putamus in iis, quae accedunt, de quibus infra dicendi erit locus: praeclaram autem, ut hoc addamus, ducimus observationem, quae legitur apud MURHARDUM (2), quam etiam supra citavimus: «*Man sollte demnach, wenn man auch manche Maschinen als Privateigenthum nicht angreifen möchte, rathsam finden, Brücken ab zu tragen, damit jeder, der einen Fluss passiren will, einen Schiffer brauche.*» Huic observationi multum inest, quod nostram confirmat sententiam. Earum machinarum enim, quas praecedentia jam saecula genuerunt, quarum incommoda ideo, cum introducerentur, nos non vidimus, utilitas nobis perquam est perspicua. Ita se res habet in arte typographiae, quam nemo sanus abrogandam censebit, attamen cum reciperetur typographia eadem incommoda illa receptio secum attulit, quae initio usûs aliarum machinarum hodie occurrunt. Quid inde igitur effici debet? Hoc, ni fallor: machinas esse utilissimas, sed eas facto utilitatem praebere debere, antequam homines omnes eam utilitatem perspicere possint; pro certo enim habeo, posteros communi sententiâ easdem machinas utilissimas habituros, de quarum laudibus nunc certatur. At praeclare admodum ii monuisse videntur, qui cum SAYO profitentur: «*Faut-il que des*

(1) Non sine gaudio deprehendi Vir. Cons. J. H. MOLKENBOER, in thesi ult. adjecta dissertationi *de rescindenda transactione* Tr. ad Rh. 1834, plane mecum facere: quum statuat: «*Inter incommoda, quas necessario secum conjuncta habet usus machinarum, non est illud numerandum, quod quantitas rerum iis machinis confectarum nimis crescat, quod Hollandi dicunt: de markt overvoeren.*»

(2) MURHARD, *Theorie und Pol.*, I. p. 122.

inconvéniens, nécessairement passagers, arrêtent les progrès, au moyen desquels les nations se tirent de la barbarie et parviennent successivement au bien être, à la civilisation, à l'abondance.»

§ 3. *De concursu venditorum.*

Fuerunt inprimis Sismondi et Malthus, qui magnum venditorum concursum improbaverint, videamus an merito.

Primum falsum putamus, quod refert Sismondi, concursûs esse effectum, ut homines plura conficiant negotia viliori pretio, nullâ ratione habitâ voluntatis et facultatis hominum res eas emendi sibique habendi; ita, dicit, appetitu non aucto, nonnulli et quidem ii, qui res emunt, fient ditiores, dum alii, qui merces confecerunt, certo afficiuntur damno. Sed observavimus iam supra, pretium diminutum multum facere ad venditionem rerum multo frequentiorem reddendam; jam concursûs venditorum effectus est, ut res justo vendatur pretio (1), i. e. tali pretio, in quod emtores et venditores conveniunt. Jam generaliter venditores non vendunt, nisi aliquo cum lucro, dum emtores generaliter non emunt nisi pretio, quod ipsis convenit: si itaque venditores vendunt cum damno, exceptio obtinebit, si emtores emunt pretio nimis magno, aeque exceptio obtinebit. Intelligitur inde, quomodo fiat, ut per concursum ambabus prospiciatur partibus, et mercium confectoribus, et iis, qui utendo res consumunt.

(1) Cf. Say, *Cours Compl.*, II. p. 43.

Intelligitur inde inprimis, quomodo consulatur ita saluti communi, et inde etiam patet, minus recte contendisse SISMONDIUM: alios sic reddi ditiores, alios certo affici damno. Attamen hoc verum est, eos, qui industriam exercent, lucro debere esse contentos minori, ratione habitâ singularum rerum, quas vendunt, si multi sunt venditores; attamen reditus illorum valde diminui sic non possunt, propterea quod multo plures res vendantur, quam antea, sed plura hac de re trademus infra. Valent haec etiam de MALTHUSIO (1). Dicit etiam SISMONDI: reditum novum exinde profectum, quod rerum novarum confectores consenserint in opus perficiendum viliori pretio, debere esse minorem, quam novam confectionem. Ita respondet nempe ad objectionem ab adversariis factam: novam confectionem suâ vice novum creare reditum. Contendit ita SISMONDI, reditum ex hac confectione profectum non sufficere ad emendas omnes res novas confectas, cum, concursûs venditorum primus sit effectus, quod diminuat salaria eodemque tempore numerum augeat opificum: inde sequi rerum confectarum copiam adesse nimiam: ad haec animadvertere liceat: minus recte existimare videri SISMONDIUM, divitias civitatum augeri tunc demum, quando confectores ex majori pretio rerum venditarum majores percipiunt reditus. Sed non satis attendit, si confectores magno vendunt pretio et magnos percipiunt reditus, ea, quae illi lucrati sunt, amittere eos, qui utendo res consumunt; ita possumus omnino dicere, per magnum pretium divitias augeri eorum, qui industriam exercent,

(1) MALTHUS, *Princ.*, I. p. 73 sqq. et alibi, II. p. 126 sq.

non vero totius populi, qui constat civibus, qui variis modis sibi comparare debent ea, quae ad vitam bene transigendam iis sunt necessaria (1). Ut igitur divitiae nationis augeantur ejusque reditus, aliud obtinere debet, quod situm esse nequit in magno pretio (2). Novarum rerum confectioni divitiarum incrementum tribuendum est: per eam plane novae res conficiuntur, novae ita adsunt divitiae, quae efficiunt, ut populi omnibus iis rebus magis instruantur, quibus indigent; ita nova confectio efficere potest, ut divitiae increscant, ut earum increscant reditus et numerus incolarum simul augeatur, minime vero pretium magnum ejus rei causa esse potest. Justo pretio res vendendae sunt, non minori; nam, si pretium rei confectae minus esset, quam impensae in eam erogatae, creata foret utilitas minor, quam ea, quam materiae habebant primariae ante confectionem et ita per confectionem ipsam magna utilitas posset esse consumta. Si vero res justo vendita est pretio, materiis primariis nova addita est utilitas, agnita ab iis, qui utendo res consumunt, utilitas illa addita est per confectionem, per laborem adhibitum ab iis, qui ad confectionem concurrerunt, quae nihil aliud est, quam conjunctio nova vel mutatio conjunctionis eorum, quae oriuntur et existunt in ipsâ naturâ: si itaque nova res confecta restituit expensas erogatas et insuper mer-

---

(1) Eadem valere videntur de MALTHUSIO, *Princ.*, I. p. 64 sqq.

(2) Hanc meam opinionem confirmatam inveni in spec. *de Nundinis*, p. 11, coll. p. 20 sqq.; p. 89 sq., cujus auctor est cons. A. A. DEL COURT, cf. etiam cons. P. W. A. GREVELINK, Diss. *de Summi Imperantis curâ*, p. 54 sq., p. 61, p. 70 sqq., p. 102 sq.

cedem praestat laboris, ab eo, qui negotium suscepit adhibiti, novus creatus esse dici potest valor.

Ita quaevis nova confectio, quae recte se habet, auget divitias nationis, et, si quis fortasse tunc roget: quomodo ita fiat, ut pecunia, ut nummi non tam augeantur, et tamen accrescant divitiae, vel potius quomodo fiat, ut, si ille, qui utendo res consumit, justum praebet pretium pro re confectâ, ideoque eundem valorem amittit, quem alter acquisivit pro re confectâ, tamen augeantur omnium simul divitiae, respondendum ei putamus: proprie permutationem tantum locum habere inter res confectas, et pecuniam tantum esse intermedium quoddam, quod permutationi inservit, itaque qui emit, valorem debet dare alteri, qui etiam novum creavit re confectâ comprehensum; jam si ambo novos et majores confecerunt valores, hi si permutantur, permutantibus utrisque majorem praebent utilitatem et augent divitias communes; ita, quoniam quisque a suâ parte novum creavit valorem, rem ab altero emendo quisque etiam ejus potuit percipere utilitatem, quod factum non fuisset, si una alterave partium valorem illum novum non procreasset. Intelligitur ita etiam reditus uniuscujusque auctos esse per confectionem illam valoris, quoniam quisque potuit consumere, quod sine eâ confectione consumere non potuisset; hinc patet etiam divitias non augeri per consumtionem, quoniam qui emit, rem confectam sibi comparat alio valore reddito; itaque civitas ex ejus rei consumtione non fruetur novo commodo, sed fruetur illa commodo per confectionem valoris, quae ei, qui res utendo consumit, tribuit facultatem rem confectam ab altero emendi.

Haec minime attendit SISMONDI, sed progrediamur. Dicit, auctum numerum opificum minorem consumere mercium copiam, quam minorem numerum: hoc autem nobis falsum videtur. Cujusque salarium fortasse diminutum erit, sed salaria omnia simul sumta erunt adaucta et plura ideo ab opificibus generatim sumtis consumentur: imo omnium reditus multum erunt aucti revera, quoniam propter vilius pretium plura sibi comparare possunt reditu, qui nomine ita potest esse idem (*nominale waarde*), differt vero efficacitate suâ: ita si plures res sunt confectae, plures erunt simul consumtae, et major abundantia inde minime aderit. Confirmat hanc opinionem ipsum, quod SISMONDI refert, omnes, scilicet, industriae partes sibi respondere, ita ubique pretium erit vilius, ubique opifices increscent numero, et ubique res novae multo majore numero erunt confectae, quod sane quam felicissimum est. Refutavi ita, ni fallor SISMONDII nec non etiam MALTHUSII sententias propositas.

Multum habet, quo se commendet, doctrina RICARDII et MAC-CULLOCHII: sequentia tamen videntur de eâ animadvertenda. Cum iis, scilicet, facere non possum, quum contendant, per concursum venditorum lucra in omnibus industriae partibus reddi aequalia, eumque non efficere, ut usura pro usu sortium rependatur minor; nam, quod ad primum attinet, dicendum videtur, pretium tendere semper eo, ut sit consentaneum impensis confectionis factae, et sic simul ducat ad novam confectionem. Accedunt certe variae res et causae, quae saepius nimiam exercent vim, ita ut saepe res vel majori vel minori pretio quam par est vendantur,

quales enumeravit Rau (1). Per concursum venditorum ita lucra magis redduntur aequalia non vero fiunt plane aequalia impedientibus rebus et causis, quae variae in civitatibus obviae sunt.

Quod ad illud attinet, per concursum eorum, qui sortes possident, non effici, ut minora percipiantur lucra ab eorum possessoribus, hac in re Ricardo et Mac-Culloch recedunt a Sayo, Sismondio, Malthusio aliisque. Difficile vero non videtur has sententias conciliare: scilicet contendunt Ricardo et Mac-Culloch, effectum esse concursûs venditorum vel locatorum, ut lucra reddantur aequalia, si vero magnum alicubi percipitur lucrum, alii incipiunt ad idem sortium collocationis genus se conferre, et lucrum diminuitur, itaque vulgo obtinet, ut minimum tandem percipiatur lucrum: at Say aliique putarunt, concursum efficere ut minora percipiantur lucra a sortium dominis, concursum opponentes monopoliis aliisque privilegiis, at concursum eo tendere, ut lucra magis fiant aequalia, non negat Say: itaque idem fere dicunt, et nulla fere est differentia.

Putamus venditorum concursum salutarem esse et optime nostris convenire temporibus: quod ad rationem attinet, cur non omnes eum talem agnoscant, eam sitam esse putamus in eo, quod nondum satis diu concursus venditorum in civitatibus obtinuerit in iis rebus, in quibus hunc concursum noxium esse hodie existiment aliqui. Ita fit, ut nondum satis perspiciatur utilitas pretii vilioris. Opifices nimis adhuc ante oculos

---

(1) Rau, *Lehrb.*, I. § 171 sq., cf. § 168.

habent tempora, quibus omnia per monopolia regebantur, quum magnas facile sibi comparare possent sortes, dum contra concursus venditorum non amplius aeque sinit, ut nonnulli sortes magnas facili negotio sibi possint comparare, sed ut multo plures parvis partibus redituum parcere possint sibique comparare sortes modicas. Concursus venditorum vero videtur esse nostris temporibus admodum congruus, imo necessarius. Multum, imo immense auctae sunt in hominibus facultates res conficiendi: permultum confectio rerum novarum est aucta, jam si concursus venditorum non obtineret, ii, qui soli opificiorum monopolia haberent, multo plures res conficerent, easque vendere conarentur eodem fere pretio quo antea, ut eo majus perciperent lucrum, et quoniam venditio et consumtio nullo alio modo tam frequentes increscunt, quam per vilius pretium, sponte patet, consumtionem sic non majorem fieri, nisi venditorum concursus obtineret. Effectus itaque foret, ut revera res magno numero inemtae manerent, et si confectores vel sic tamen lucrarentur, (quod lucrum rerum venditarum saepius tamen superaretur a damno, quod paterentur per res, quae inemtae manerent) hi soli commoda omnia perciperent ex progressibus cultûs et humanitatis: jam autem per concursum venditorum omnia justo venduntur pretio, prospicitur sic emtoribus et venditoribus simul sive toti civitati; ita sortes ibi adhibentur, ubi maximum praebent commodum et lucrum (1). Per concursum venditorum porro melior obtinet divitiarum dsstributio;

(1) Cf. cons. Greveling, *de Summi Imperantis curâ*, p. 102 sqq., p. 115 sq.

utilior enim ea est, quâ plurimi homines in civitate certas habeant sortes easque modicas (de quâ re alio loco) quam ea, quâ nonnulli immensas possident divitias, dum plurimi paupertati et miseriae sunt dediti. Merito etiam contendit SAY (1): non metuendum esse ab iis, qui industriae operam nondum navant, ne concurrant cum ceteris industriis hominibus iisque damnum inferant, quoniam homo, qui ipse quid conficit, eo emit res ab aliis confectas. «*Il n'est pas de pays industrieux,*» ita loquitur SAY ll. «*qui n'en offre la preuve vivante; car ce n'est que dans les paijs industrieux, que l'on vend beaucoup, et les peuples, qui croupissent dans la paresse sont de pauvres consommateurs. Non seulement il est impossible de se croîre utile comme consommateur, quand on est oisif, mais on doit être bien convaincu, que l'on fait tort à la société sous un double rapport et par les produits dont on ne l'enrichit pas et par les produits, dont on aurait provoqué la production en se rendant capable de les acheter*» (2). Cetera commoda, quae a societate percipiuntur, alio loco jam notavimus, eaque recte videtur tradidisse SAY, quae etiam supra citavimus.

Jam vero cum de concursu venditorum sermo sit, proferre liceat, quid sentiamus de casu, quo res omnes non venduntur ratione habitâ concursûs venditorum. De hoc monendum videtur: per systema libertatis, quod venditorum concursum comitatur, non facile fieri,

(1) SAY, *Cours Compl.*, II. p. 22.

(2) Cf. cons. A. A. DEL COURT, spec. *de Nundinis*, p. 70, et SAY, *Lettres à Mr.* MALTHUS, p. 8.

ut res vendi nequeant. Verum est in multis civitatibus hodie hujusmodi effectum haberi posse; scilicet, concursum supra distinximus duplicem, nempe 1º. inter confectores, 2º. inter eos, qui utendo res consumunt. Jam nobis videtur anomalia quaedam adesse, si concursus adest inter confectores, quâ quam maxime etiam excitantur facultates conficiendi et revera res magno numero conficiuntur, et concursus non aeque obtinet inter eos, qui utendo consumunt. Per concursum confectorum quam plurimae res conficiuntur, per concursum eorum, qui consumunt, quam plurimae res venduntur et consumuntur. Itaque, nisi hae duae concursûs partes sibi respondent, obtinere potest, ut rerum nonnullarum pars maneat inemta. Quid autem hodie obtinet? Concursus magnus omnino obtinet inter eos, qui industriam exercent: plurimas itaque hi res conficiunt: ut autem confectioni aequa habeatur consumtio, sive venditio, opus est, ut idem haberi possit concursus emtorum, sed huic multa se opponunt impedimenta. Ita fit ut nonnullarum rerum adsit aliquando nimia copia, quoniam in civitatibus, in quibus ita perturbata habentur organa, per artes et impedimenta incidentia sortes collocantur et erogantur in earum rerum confectionem, in quam erogatae non fuissent, si organa non fuissent perturbata, et impedimenta illa et artes non obstitissent. Huc pertinent certe tributa et vectigalia aliaque onera quaedam, quae efficiunt, ut rerum pretium majus ab iis, qui consumere volunt, rependendum sit et quidem ejusmodi, ut partem ejus non percipiant illi, qui industriam exercent; propter illud majus pretium non tot personae res confectas emere

possunt, quam caeterum eas emissent, illeoque neque cum caeteris iis, qui res eas consummunt, possunt concurrere. Venditio itaque non augetur eâdem laudabili ratione, quâ auctae sunt facultates conficiendi, et quâ auctus est numerus rerum confectarum; et sic obtinere potest casus modo expositus.

Accedunt praeterea ea impedimenta, quae supra ex Ravii opere (1) citavimus, qui eundem omnino effectum habere possunt.

Itaque secundum nostram sententiam systema concursûs optimos habet effectus illudque hodie necessarium putamus: quod si casus interveniat, quo res quaedam vendi nequeant, hujus rei causam magis esse defectum concursûs, quam quidem concursum ipsum existimamus.

§ 4. *Quaestio, an Summus Imperans se immiscere debeat rebus ad industriam pertinentibus.*

De hoc etiam argumento rejicienda videtur doctrina Sismondii, qui imperanti tribuit et tribuendam censet facultatem interveniendi, moderandi, prohibendi, progressum industriae retardandi, quam ob causam spectandum ducit, ut nova quaedam, (deducta ex veteribus et receptis institutis, uti corpora opificum, praemia etc.) institui possint: addit tamen, certo constare oportere de benevolentiâ et aequitatis studio, quo Imperans ducitur. Sismondi itaque censere videtur, Imperantem cursum industriae regere debere; quocirca jam videamus, an haec ejus sententia vera habenda sit.

---

(1) Rau, *Lehrb.*, § 171 sq.

Doctrinam Sismondi rejiciendam esse putamus has ob causas: si historiam gentium consulimus, in eâ permulta inveniemus documenta principii, Deum O. M. summas quasdam et universales praeposuisse leges huic mundo, quae omnia moderantur et regunt; has leges observandas vult et curat Summa Providentia, et si fortasse homines saepius audaciâ usi adhibuerint conamina, quibus summas hasce leges viderentur evertere aut per aliquod tempus tollere, fortasse retardarunt exercitium illarum legum, eas vero minime potuerunt frangere, neque efficere ut *ea* locum non habuerint, *quae* obtinere deberent secundum Summi Numinis sapientiam: quoties ita homines talia instituerunt, quae erant contraria iis legibus, ea evanuerunt, neque leges summae illae vim amiserunt suam et efficacitatem: quoties vero humana instituta eas leges adjuvarent, et cum iis concurrerent, toties ea instituta firmo innixa sunt fundamento. Summas hasce leges a Deo O. M. sibi reservatas animadvertere etiam nobis videmur in Oeconomiâ politicâ. Ita ex legibus illis, quae naturaliter industriam regunt exsistit doctrina quaedam et quasi oeconomia quaedam una, de quâ recte Rau dixisse videtur (1): «*Es zeigt sich bei näherer Betrachtung, dass die Privatwirthschaften in genauer Verbindung unter einander stehen und zusammen ein ganzes System von Thätigkeiten bilden, welches man mit einem Organismus vergleichen könnte,*» et organismum illum eodem § 8 seqq. ulterius persequitur.

---

(2) Rau, *Lehrb.*, I. § 7.

Singula organa si libere vim exercere possunt, tunc omnia recte se habebunt, quoties vero hic et illic vis et efficacitas eorum restringuntur, apertum est, omnem organismum turbari, ut dicit MAC-CULLOCH (1): « *by which the natural and healthy state of the public economy is vitiated and deranged.* »

Jam si hae leges adsunt, si Summum Numen facultatem sibi reservavit eas praescribendi et moderandi, ideo maxime, quoniam non cadunt illae in ambitum facultatum humanarum, an tribuendam censeamus Imperanti facultatem praescribendi cursum, quem industria sequi debeat, monopoliis et privilegiis tribuendis, aliisve saltem quibusdam mediis prohibendo, restringendo vel etiam retardando progressum industriae? an imperium, quod hominibus constat, satis possit esse audax, ut se aliquid efficere posse existimet, quod Summa Providentia sibi reservavit: hac mente etiam dicit MURHARD (2): « *Nicht menschliche Weisheit, nur die Gesetze der Natur bestimmen die Gränze der angemessenen Bevölkerung; und eben so streng als unerbittlich rächt gewöhnlich die Natur jegliches Vermessen des Menschen dem Walten ihrer Gesetze in den Weg treten zu wollen.* » Leges adesse etiam industriae praescriptas, quae ejus regere debent cursum, meâ opinione constat; satis luculenter illud etiam ostendunt RAU, SAY, aliique (3).

(1) MAC-CULLOCH, *Princ. of pol. Ec.*, p. 209. Cf. cons. GREVELINK, *de summi Imperantis curâ*, p. 76 sq.

(2) MURHARD, *Theor. und Pol.*, I. p. 114.

(3) RAU, *Lehrb.*, I. § 7 sq. Cf. I. § 323, n°. 2. SAY, *C. Compl.*, II. p. 270 sqq etc. Saluti publicae per media directa ad Imperantibus

Patet ita, ni fallor, Imperantis non esse, cursum regere industriae, et patet simul, sententiam Sismondi veritati minus esse congruam. Facimus ita potius cum iis, qui systemati favent, quod in sinendo consistit; (*laisser faire*) ita industria eam sibi eliget viam, qua optime prosperitati consuletur omnium.

Quae hucusque diximus valent tantum ad ostendendum, Imperantem neque debere, neque posse regere cursum industriae; nequaquam vero valent ad ostendendum, Imperantem se nullo modo immiscere debere rebus, quae ad industriam pertinent.

Officium itaque, quod hac in re incumbit Imperanti huc videtur redire: scimus necesse esse, si civitas prosperitate gaudere possit, ut cujusque dominium, quantum fieri potest, sit tutum, ut cujusque jura maneant inviolata; sic cavere debet Imperans, ne proprii commodi cura homines ducat ad violanda jura aliorum; qua de re Say (1): «*On peut presque toujours s'en rapporter à l'intérêt privé du soin de faire ce qui est nécessaire. Le seul soin utile, que puissent prendre les gouvernements, est d'empêcher que l'intérêt des uns ne porte préjudice aux droits des autres, ou du public. Telle est leur véritable mission*» (2).

---

adhibita consuli non posse vidit etiam cons. Gaevelink, *de summi Imp. curâ*, p. 8, p. 10 sqq., et praesertim p. 21, dicens: «Omnes autem leges et statuta, quibus impedimentum naturali, ut ita dicam, rerum cursui opponitur, tot juris dominii laesiones esse videntur et industriae nocent, quam securitati minitentur.» Cf. p. 36 sqq. Multum favet systemati, quod in sinendo consistit. Cf. cap. II. *de liberâ civium industriâ* p. 40.

(1) Vid. Say, *Cours Compl.*, II. p. 271 sqq. Cf. eod. p. 300 sqq.

(2) Hoc et Cicero vidit: *de Off.*, II. c. 21, dicens: «Inprimis autem

Juris tutelam igitur quam maxime tueatur Imperans. Viam porro aperiat, quâ homines, quantum potest, ad summam adducantur perfectionem. Hoc etiam attendit Sismondi, cum dicit (1). «*Mais d'autres qualités; d'autres vertus semblent contribuer plus efficacement encore à l'accroissement de la richesse, comme au bonheur de la société; ce sont l'amour de l'ordre, l'économie, la sobriété, la justice. Ces vertus sont presque toujours l'ouvrage des institutions publiques. La religion, l'éducation, le gouvernement et le point d'honneur changent la nature des hommes; et de même qu'ils peuvent en faire de bons ou de mauvais citoyens, ils les rapprochent ou les éloignent du but, que doit se proposer l'économie politique.*»

Impedimenta tollat etiam Imperans, quae a singulis hominibus tolli nequeunt; generaliter ea instituat, quae egregie facere possunt ad industriam civitati utiliorem reddendam, nec tamen valent ad cursum, quem natura industriae attribuit, mutandum (2); sunt ex. gr. aliquando in civitate opificia, quae non lucrum, sed damnum inferunt opificibus ipsis, jam tunc natura ipsa

---

videndum erit ei, qui rem publicam administrabit, ut suum quisque teneat neve de bonis privatorum publice deminutio fiat.» Cf. Cicero, *pro Roscio Amerino*, c. XVII. *pro Caecinâ* c. XXVI; *de Off.*, II. c. XXI. Cf. etiam Grevelink, *de summi Imp. curâ*, p. 13 sqq., p. 21 sqq., p. 28, 64, 134 sqq

(1) Sismondi, *Nouv. pr.*, I. p. 411. Cf. Cons. A. A. del Court, *de Nundinis*, p. 32, p. 90 sqq. Cons. P. W. A. Greveling, *de summi Imp. curâ*, p. 24, 26, praesertim caput IV, *de Institutione publicâ et civium culturâ* maxime p. 193 sqq.

(2) Cf. Cons. A. A. del Court, spec. I., p. 104 sqq., et Cons. P. W. A. Grevelink, spec. I., p. 85, 112, cap. V et VI.

satis ostendit, haec opificia damnosa esse civitati et sortes in iis adhibitas alium in usum esse erogandas, qui magis convenit: jam etiam tali casu Imperans non videtur debere tribuere opificibus iis monopolia, ad efficiendum, ut opificia iis lucrum afferre incipiant rursus; tunc mutaret cursum industriae, quem ipsa jam indicavit natura, neque eo perveniet, ut industriae genus reddat civitati utile, quod naturâ suâ civitatis prosperitati est contrarium. Industria relinquatur itaque libera, organa sic singula in civitatibus obvia optime concurrent, ut inde efficiatur organismus, quantum fieri potest, omnibus numeris absolutus.

Instituta publica si eo tendunt, si ita se gerit summus Imperans, ni fallor, optime prosperitati consuletur publicae; sponte tunc magnae societatibus leges praepositae industriae eum adsignabunt progressum, qui cuique rerum statui, cuique rerum conditioni optime convenit.

Quam vim Imperans exercere debeat in moderandâ industriâ egregie et eleganter indicavit SAY: « *Quand on est raisonnable, on ne délibère pas pour savoir, si l'on fera ou non remonter un fleuve vers sa source; mais il est fort nécessaire de prévoir les ravages de ce fleuve, de diriger ses écarts et surtout de profiter du bienfait de ses eaux.* » (1).

Olim utile fortasse erat, ut haberentur corpora, monopolia, restrictiones, sed omnia haecce nostris temporibus non sunt congrua, et quae hac in re diximus, cum de concursû loqueremur, eadem valent de argumento, de quo jam est sermo. Si hujusmodi instituta

(1) *Cf.* Cons. GANTELINK, *de summi Imp. curâ*, p. 187 sq., et Cons. DEL COURT, *de Nundinis*, p. 83 sqq.

quis hodie apud nos in usum revocare vellet, Imperans male admodum rebus, quae ad industriam pertinent, se immisceret; inserviret ejusmodi interventio ad magis magisque perturbanda singula societatum organa; hujus autem perturbationis jam notavimus effectus; hi cum contrarii sint prosperitati communi, etiam omnia improbanda sunt, quae tales effectus habere possunt.

Quid igitur dicendum de hoc argumento, ratione habitâ nostrae quaestionis? Cohaeret quaestio cum eo, quod supra monuimus de concursu: concursus enim inter emtores quam maxime etiam restringitur per restrictiones et prohibitiones, quas saepissime adhuc ab Imperantibus videmus impositas (1); hoc sub respectu si eas consideramus, sponte patet eas in causâ esse, quod res vendi nequeant, et quod, si res vendantur, illud fieri non possit nisi cum damno eorum, qui industriam exercent. Exemplum nobis praebet RAU (2), cum agit de conditione Germaniae post annum 1814; ibi enim industria post hunc annum multum decrevit, et merces ad vendendum oblatae vendi non potuerunt. Hujus rei causas investigans inter alia, etiam haec profert (3): «*Die ungeheure Abnahme der Ausfuhr Deutschlands (ist schon) hinreichend die Lähmung der Gewerbe zu erklären. Die Absatz des Getraides,* ita pergit, *schmälert das englische Korngesetz in hohem Grade. Die Wolle findet gleichfalls in England viel schwächere*

---

(1) Probanda itaque hoc nomine videtur doctrina MAC-CULLOCHII supra exposita, ceterorumque qui ab eâ sententiâ non sunt alieni. Cf. CONS. DEL COURT, *de Nundinis*, p. 99 sqq.

(2) RAU, *Malthus und Say*, p. 264.

(3) RAU, *Malthus und Say*, p. 216 sqq.

Abnahme, seitdem auf dem Pfunde ein neu hinzugefügter Einfuhrzoll von 5 Pence liegt. Die Wirkung dieser Erhöhung war so ausserordentlich, dass während die Wolleneinfuhr vom 5 April bis zum 5 Oct. 1819, dem Tage, wo der neue Zoll erhoben zu werden anfing, über 12½ mill. Pf. betrug, in dem folgenden halbjahre bis zum 5 April 1820 nur 475,355 Pf. eingingen.» Multae aliae merces in Germaniâ non venduntur propter commercium interruptum Germaniam inter aliasque regiones vicinas; damnum itaque magnum in Germaniâ opifices passi sunt; deque dicit Rau: «*Leicht können wir annehmen, dass das Einkommen deutscher Gewerbsleute aus dieser Ursache wenigstens um 50 mill. Rthlr. sich vermindert hat. Hiezu kommt, dass die Festlandsperre manche Gewerbe erst auf, gegen den früheren Zustand sehr beträchtliche Höhe hob, welche das jetzige Sinken desto schmerzlicher empfinden lässt.*»

— Ita misera Germaniae hodierna conditio nobis praebet exemplum, quam perniciosa esse possit Imperantis interventio, quae non congruit cursui, quem natura industriae adsignavit (1). Certe quum Imperantes indigeant tributis et vectigalibus, quibus satisfiat sumtibus in publicam civitatis administrationem erogandis, semper aliquomodo vim exercere debent in industriam, in confectionem, distributionem, et consumtionem mercium. Nam Imperantes exigere sunt coacti, ut singuli cives certam praebeant partem eorum, quae possident, tributorum nomine, ut sumtibus iis obviam eatur: de his

(1) Cf. von Gülich, *Ueber die gegenw. Lage etc.*, p. 152 sqq., p. 176 sqq., p. 182 sqq.

tributis vero alibi erit dicendi locus. Sed necesse est, ut Imperantes ceterique viri politici perspiciant, hisce tributis, ut ut necessariis, industriam cohiberi. Divitiis publicis demitur, quod sic eo nomine solvendum est. Videant itaque universe Imperantes, sese rebus, quae ad industriam pertinent, temere immiscere non oportere. Tum non intervenient, nisi quando id absolute est necessarium. Nihil magis perniciosum est, quam si in eam opinionem adducantur Imperantes, se gaudere debere industriam moderandi, restringendi, prohibendi, regendi, et etiam retardandi potestate, i. e., si participes fiunt sententiae a SISMONDIO prolatae. Tunc facile vetera et antiquata instituta, monopolia, corpora etc. in usum revocari possent, tunc, ni fallor, impedimenta, quae se industriae opponunt, in dies fient majora, calamitates multo majore numero et multo graviores afficient cives, hujusmodi Imperantis subditos, qui SISMONDII foveret sententiam; et, licet jam hujusmodi Imperantis instituta vigerent per aliquod tempus, tamen tandem sentiret ipse continuo, se etiam et industriam atque prosperitatem publicam universe subesse gravissimis legibus a Deo O. M. societatibus praescriptis; animadverteret sic etiam cursum naturalem industriae, quem Dei summa Sapientia ordinavit!

§ 5. *De distributione rerum.*

Cum iis, quae supra (p. 37 sqq.), de MALTHUSII hac de re doctrina notavimus facere non possumus. Ni fallor, haec fere est sententia MALTHUSII: opus est distributione divitiarum ejusmodi, quae optime comparata est ad satisfaciendum necessariis (*besoins*) societatis, et ad nova

ea excitanda, quibus jam societas indigere possit (*distribution effective*), opus est porro consumtione satis magnâ (de quâ infra): opus est proportione bonâ inter quantitatem rerum confectarum earumque appetitum, ne rerum confectarum pretium diminuatur, ut adsit incrementum continuum valoris rerum confectarum aestimati secundum laborem, qui ad eas conficiendas adhiberi debet, cum sine tali incremento fieri nequeat, ut major adhibeatur labor. Jam vero diximus de magnis rerum pretiis et observavimus, pretia ejusmodi nihil aliud efficere, quam ut majus pretium auferatur iis, qui consumendo rebus utuntur, quod restituatur iis, qui industriam exercent, atqui ita saluti communi non recte consuli, observavimus. Ideo probandus nobis maxime visus est concursus venditorum, quoniam ille ordinario efficit, ut confectoribus restituantur expensae et lucrum aliquod iis praebeatur, et ut ii, qui consumunt, justum rependant pretium conveniens rei valori, ne itaque dicta repetamus huc referenda sunt, quae hic et illic jam de hoc ipso argumento diximus. Ea autem si ante oculos habemus et si cum iis conferimus, quomodo per pretium justum ita repensum, reditus uniuscujusque dici possit factus esse major, ratione habitâ eorum, quae acquirere potest, quomodo nova ita excitentur, quae necessaria videntur vel jucunda iis, qui consumunt, qui jam ita magis magisque comparare sibi possunt, de quibus Sayus videtur egisse (1), tunc revera nobis fit perspicuum, quomodo divitiae civitatum possint increscere, quomodo nova ita oriantur

(1) Say, *Cours Compl.*, I. p. 220.

media se sustentandi et melior rerum sic obtineat distributio, quomodo numerus populi accrescere simul possit et majoribus omnes frui possint voluptatibus. Carent vero fundamento, quae dixit MALTHUS, per incrementum valoris vel reditûs parsimoniam locum habere non solum sine diminutione appetitus et facultatis hominum res sibi habendi et consumtionis, sed dum appetitus res sibi habendi et facultas, consumtio et valor recipiant incrementum per totam hanc operationem. Ita putat, incrementum anterius valoris incitare accumulationem sortium eamque aptam reddere ad favendum continuo divitiis, augeri ita quotannis reditus, qui indicant, divitias esse auctas, nec non consumtionem, res sibi habendi appetitum et facultatem. Non intelligo, nec credo intelligi posse, undenam ita hoc incrementum valoris anterius proveniat; hoc enim non indicatur et, me judice, indicari nequit, si ea ante oculos habemus, quae contendit MALTHUSIUS, quaeque hanc etiam ob causam probanda non videntur. Huc autem, ni fallor, redit MALTHUSII doctrina: bonam divitiarum distributionem debere accedere, ut incrementum valoris, aestimati secundum modum laboris, quem rerum confectarum valor adhibere potest, concomitetur semper majorem rerum confectarum numerum; hic pendet a facultatibus industriae, illud a distributione. Certe videtur MALTHUSIUS quidem haec satis recte perspexisse, sed non videtur habere, de quo tunc queratur tantopere, quoniam, licet pretia singularum rerum hodie ita vulgo diminuantur, ut vix restituant impensas et referant lucrum modicum, tamen valor totius copiae rerum confectarum certissime est auctus: documentum

invenimus in eo, quod tantopere increverit ubivis fere in regionibus Europae hominum numerus, et ita si valor totius copiae rerum confectarum est auctus, nescio sane, quomodo jam dici possit abundantia rerum confectarum generalis posse exsistere ideo, quia valor majoris rerum confectarum copiae non eundem adhibere potest laborem, quam earum minor quantitas, quem casum ante oculos habuit Malthusius, cum de hoc argumento suam exprimeret sententiam. Sed statuamus, valorem totius quantitatis rerum confectarum esse diminutum, tamen cum Malthusio hac in re facere non possem, sed provocandum mihi videretur ad sententiam Sayi dicentis (1): «*Si par une supposition extrême, les produits ne coûtaient aucuns sacrifices, ils pourraient être obtenus pour rien; les travailleurs ne trouveraient plus d'ouvrage; mais ils n'auraient plus besoin de travailler. Or toute économie de travail, sans atteindre ce but, est un pas fait pour en approcher.*»

Doctrina Murhardi et Dunoyeri multum in se continet, quo se commendet. Indicantur multa eaque gravia mala, quae in civitatibus obtinent, quae revera sunt animadvertenda, si causas investigare cupimus, propter quas res confectae aliquando vendi non possunt, nimis vero videntur provocasse ad rerum malam distributionem, dicentes: Si pauci eas possident, licet merces maximâ forent multitudine et optimâ ratione inter se invicem, tamen paucae venderentur, quoniam pauci illi, magnis qui gaudent divitiis, modo paucis indigent, et cetera pars societatis cum eo, quod ei su-

(1) Say, *Cours Compl.*, I. p. [illegible].

potest, modo pecunia emere possit. res tunc manent intactae. Hoc iis plane concedere non possum. Primo enim per maximam multitudinem rerum omnes in civitate facile omnia ea sibi possunt comparare, si facultatem emendi habent, de quâ mox: 2°. optima ratio est ea, quâ singulae rerum species optime sibi invicem respondent, ita ut secum invicem permutari possint: bona ratio inter singulas res confectas intercedere dici potest, si singularum rerum specierum quantitas respondet iis, quibus indigent singula civitatis organa: ita nonnullarum specierum major adesse debebit quantitas, quam aliarum, si magis sunt necessariae, sed omnes res simul sumtae efficient unam aliquam summam (*één geheel*). Jam omnes in civitate homines certis quibusdam negotiis indigent, hanc sibi comparandi facultatem habere debent, et hanc facultatem revera fere omnes habent: in civitate enim, ubi res adsunt maximâ copiâ et optimâ ratione inter se invicem, res eae debent esse confectae: haec confectio multas requirit sortes, magnum laborem, magnam industriam. Alios jam adhibuisse necesse est sortes suas, alios laborem, alios aliud quid, v. c. securitatem juris praestiterunt: hi singuli itaque omnes suas habuerunt partes in confectione, et pro operis praestitis recipiunt vel usuram vel lucrum vel mercedem: pro nihilo enim operas fere nemo praestat.

Ita possunt singuli tantum fere sibi comparare, quantum praestiterunt; jam si res bonâ inter se sunt ratione, sive si res respondent iis, quibus singuli indigent, si hi ea sibi comparare possunt, quoniam singuli certâ ratione et certo modo contulerunt quid ad

conficiendas res confectas, sponte sequitur, ut ii, qui pluribus rebus indigent, eas sibi comparare possint, et ut ii, qui paucioribus indigent, etiam eas acquirere possint: illi enim plures et majores operas contulerunt in confectionem, hi minores: sequitur ita, res confectas, si maximâ sunt multitudine et optime ratione habitâ aliarum distributae, optime inter se permutari, neque inemtas manere. Hoc autem adjiciendum etiam videtur: considerarunt MURHARD et DUNOYER optimam relationem intercedentem inter res confectas in abstracto, nos autem eam consideravimus ratione habitâ ipsius civitatis: de optimâ ejusmodi relatione enim loqui non posse videmur, si alicujus rerum speciei major adest quantitas, quam requirit gradus, quo civitas iis indiget: haec itaque monui ad ostendendum, eos non plane nobis videri amplexos fuisse principia confectionis et consumtionis, cum ita de bonâ ratione, quae intercederet inter res confectas, loquerentur. Minime enim id agere volui, ut improbarem totam eorum de distributione doctrinam. Quomodo autem unâ cum increscente confectione augeatur simul consumtio, ni fallor, modo jam exposui in animadversione ad DUNOYERUM et MURHARDUM, cum dicerem, quemque posse sibi comparare circiter tantum, quantum valet illud, quod praestitit ad conficiendas res novas. Quo magis hoc obtinet, eo melior obtinere dici potest distributio bona venditionem multo frequentiorem reddere. Hoc tamen addere liceat, eam distributionem maxime videri civitatibus convenire, quâ divitiae quam maxime aequaliter et generaliter sunt distributae, tum quoniam ita majores et magis aequales erunt partes, quas

quisque in rerum confectione habuit, et majorem et magis aequalem partem quisque sibi comparare, tum quoniam, uti recte docuisse videntur Dunoyer et Murhard, pauci paucis tantum indigent et cetera pars societatis pauca emere possit. Recte autem animadverterunt illi, inaequalitatem divitiarum inter societatis socios maximam vulgo obtinere, et adesse varias et multas res et causas, quae prohibeant, quominus quisque tantum sibi comparare possit, quantum valet illud, quod ad conficiendas res novas praestitit. Apparet ita, quomodo in civitatibus saepius venditio evadat difficilior; ni fallor autem, systema libertatis remedium aliquod afferre potest, quoniam ita aequalitas promovetur divitiarum et acceditur magis ad eam distributionem, quam supra laudavimus.

§ 6. *De foro sive facultate res vendendi.*

Cum de hoc argumento superiori Capite locuti sumus, mentionem fecimus definitionis fori sive facultatis res vendendi. Rectius et brevius fortasse eam facultatem definiremus, si dicimus: forum vel facultas res vendendi constituitur oblatione rerum confectarum ab unâ parte, et voluntate atque facultate hominum res sibi habendi, ab alterâ parte. Definitioni enim Sismondii supra traditae aliquid deest, et vel ex eâ solâ efficere possumus, eum non recte perspexisse principia ea, quae nos docent, facultatem consumendi hominum esse effectum facultatis conficiendi, quâ valent. Nullam etiam rationem habuit Sismondius ipsius confectionis, de quâ, in hoc argumento pertractando, me judice, revera dicendum etiam fuisset.

Recte monuit idem scriptor, facultatem vendendi variis subesse mutationibus eamque esse cognitu perquam difficilem. Recte etiam exposuit idem, quomodo facultas ea aliquatenus saltem cognosci possit. Contendit vero porro: plerumque homines ignorare, quousque se extendant confinia ceterorum et ideo eos fere semper modum excedere. Hoc universe verum non videtur. Uti enim proponit illud Sismondius, est quasi uno eodemque momento omnes ii, qui industriam exercent, quaererent de pretio rei confectae et jam conficerent res novas, quia eo ipso tempore, quo inquirebant in earum pretium, videbantur lucrum allaturae: hoc autem non obtinet. Inquisitio in pretium fit quotidie, quotidie res novae conficiuntur, et quotidie ex pretio effici debet, utrum pretium aliquarum rerum lucrum allaturum sit, an damnum: jam hoc ultimum si obtinet, non progredientur homines in conficiendo eas res, saltem nonnulli ab earum confectione se abstinebunt et ita brevi nimia earum quantitas adesse desinet, et homines progredi poterunt in earum confectione. Jam ut nimia ea abundantia, quae secundum ejus opinionem exsistit ita, locum non habeat, monet optandum esse, ut appetitus hominum res sibi habendi moderetur opificis laborem; consumtionem enim augeri non posse statuit, nisi auctis reditibus, quod non obtinet, si permutatio tantum locum habet, uti si confectores novi, ut ita dicam, excipiunt tantum veteres in percipiendo reditu. Sed concedo quam maxime Sismondio, consumtionem non augeri, nisi auctis reditibus, quod ad modum vero attinet, quo reditus augeantur, cum eo consentire nequeo: scilicet credit Sismondi, uti ex hoc

loco apparet, magna pretia reditus augere: hoc vero non obtinere alio jam loco latius et pluribus exposui: me judice enim divitiae et reditus tantum increscere possunt per auctam confectionem: hinc sequitur, non optandum esse, ut appetitus hominum res sibi habendi regat laborem opificis: confectio enim non augeretur, si appetitus moderaretur laborem opificis, appetitus enim hominum res sibi habendi major non fieret, quoniam, non adauctâ confectione, non accrescerent divitiae. Confectio enim major tunc fieri non posset, quoniam homines nullum adhiberent laborem, quam qui appeteretur et appetitus non fieret major, quoniam non increscerent divitiae, sive modi nobis comparandi res, quas expetimus. Appetitum hoc loco significo, cui satisfieri potest, i. e. junctis illi mediis nobis comparandi ea, quae appetimus. Atqui haec media tantum ex novâ confectione exsistunt. Spero, me opinionem meam satis perspicue declarasse: hoc vero est perquam difficile, propterea maxime, quia quae primum exstiterat causa, novarum rerum confectio, postea rursus fit effectus et qui primum exstiterat effectus, appetitus, jam denuo fit causa. Quod porro dicit Sismondi, facultatem emendi mundi universi esse limitatam, uti facultas emendi uniuscujusque civitatis, limitata est, hoc ei concedere possum, certum aliquod si specto tantum tempus, generaliter non possum, quoniam quotidie plura conficiuntur et quotidie augetur etiam facultas emendi, quo etiam facultas vendendi quotidie fit major.

Verum videtur, quod refert Malthus, nullam civitatem, cujus forum internum et externum valde limi-

tatum est, unquam accumulare magnam sortem, non vero tantopere propterea, ut contendit ille, quoniam forum limitatum se opponit voluntati et facultati consumendi, quae necessariae sunt ad pretium mercium vulgare sustentandum, ad appetitum gignendum res confectas sibi habendi et sortis, quae inservire debet ad eas conficiendas; sed ideo maxime, quoniam medium non adhibet ad sibi comparandam sortem magnam, scilicet, quod non huic illive industriae generi operam det; civitas in quâ magna exsistit continuo mercium copia ordinario frequenter etiam merces suas vendit, et quo major est confectio, eo major, eo frequentior obtinet vulgo ejus mercium venditio (1). Ad hunc locum idem de Malthusio dicendum videtur, quod jam animadverti de doctrinâ Sismondii, nempe eum opinari, aliunde etiam, quam ex confectione novas oriri divitias et magnas contrahi sortes, scil. per rerum magna pretia; sed supra jam vidimus, aucta rerum pretia lucrum afferre unicuique privato, qui res possidet, sed id considerari non potest, tamquam augens valorem rerum confectarum nationalium. Pro parte autem facimus cum Malthusio dicente, quoties rerum confectio novarum nimia est ratione habitâ voluntatis et facultatis res novas sibi habendi, reditus nationis diminuitur et diminuuntur divitiae. Assentior nempe ei, quatenus hoc intelligit de singulari rerum specie vel de nonnullis speciebus, non vero, uti facere videtur, de universâ rerum omnium confectione; supra enim probavimus, ni fallor, alicujus speciei rerum nimiam posse confici abundan-

(1) Say, *Cours Compl.*, II. p. 6 sqq., et 18 sqq.

tiam, non vero generaliter omnium rerum hodie adesse posse nimiam copiam: et confectionem earum rerum, quarum species jam adest nimiâ abundantiâ, non vero eam omnium rerum universe coarctari oportere.

Universe itaque nobis magis probanda videtur doctrina eorum, qui dicunt, obtinere posse, ut res confectae omnes vendi non possint, itaque forum obrui mercibus, sed qui hunc casum magis tribuunt rebus et causis externis, quam quidem ipsi confectioni. Harum rerum causarumque effectum in mutatas collocationes sortium, recte RICARDO notasse videtur, et recte de iis egerunt etiam ceteri scriptores citati, qui fere in eandem partem eunt. (1). Praecipue autem laudanda nobis videtur doctrina SAYI de foro (*des débouchés*) exposita *Cours Compl.* initio t. II. Hoc enim principium firmis stare fundamentis nobis videtur, res inter se proprie permutari et ita unam rem confectam consumtioni locum dare alius rei confectae: jam haec doctrina rejicit plane generalem superfluam rerum abundantiam, sed simul continet agnitionem, unius speciei vel nonnullarum specierum nimiam omnino esse posse abundantiam. Ad res permutandas oportet, ut duae adsint res confectae, itaque, si una deficit, altera permutari nequit, idcirco merces augeantur numero, ut vendantur.

Res et causae vero variae magnam habent vim in principium illud, et efficiunt, ut magna saepius intercedat discrepantia inter confectionem et consumtionem: ita vulgo adhuc facultas vendendi per instituta publica

---

(1) Cf. etiam Cons. GREVELINK, *de summi Imp. curâ*, p. 119 sqq.

et leges restringitur (1), per tributa (2) et monopolia (3), per bella, etc. Certe deploranda omnia sunt illa extrinsecus accedentia. Ex dictis itaque patet, quatenus, salvo principio memorato, obtinere possit, ut forum obruatur rebus novis confectis, ita ut omnes res novae confectae vendi nequeant et damno afficiantur ii, qui eas conficiunt.

§ 7. *De consumtione.*

Incipiendum et hîc denuo est a refutatione doctrinae MALTHUSII, quae nobis hac in re certe erronea videtur: statuit enim, posse fieri, ut omnium rerum nimia obtinere possit abundantia, itaque consumtionem esse incitandam, ut divitiae eo magis increscere possint et ideo opus esse putat, ut adsint homines in civitate, qui confectioni rerum operam non dent, ut eo magis tota rerum confectarum quantitas consumi possit. At vero tenendum videtur confectionem majorem praebere majorem facultatem consumendi, et eos ipsos, qui res novas conficiunt, tanquam confectionis auctores ideo consumere posse eo magis, quo plures res confecerunt. Ita v. c. si confectio duplex facta est, in permutatione duplices etiam operae (*services*) permu-

(1) Cf. VON GÜLICH, *Ueber die gegenw. Lage* etc., p. 60, qui de mercaturâ agens Europam inter et nonnullas Americae civitates, dicit: «*Der anarchische Zustand in Mexico, Columbien und mehrern andern dieser Gegenden dauerte beständig fort, und setzte den Handel mit denselben grossen Schwankungen und grosser Unsicherheit aus.*» etc. Cf. etiam GREVELINK, *de summi Imp. curâ*, p. 45 sqq., p. 51 sq., p. 65 sqq., p. 106 sqq.

(2) Cf. GREVELINK, spec. I. p. 57 sqq. p. 77 sqq.

(3) Cf. GREVELINK, spec. I. p. 62 sq.

lantur, merces duplo auctae, possunt se invicem acquirere. Ita si sine majoribus expensis, operae, quae in confectionem concurrerunt (*services productifs*) duplo majores et plures merces praestare possunt, dupla ita orietur copia rerum confectarum, consumtioni apta. Res confectae ipsae tali in permutatione opponuntur, quod ad valorem, operis, quae in confectionem concurrerunt: jam, ut in quâque permutatione una res eo pluris valet, quo majorem ipsa permutata obtineat copiam mercis alterius, etiam operae, quae ad conficiendum inserviunt, eo pluris valebunt, quo majori copia iis comparari possunt res confectae. Sed observat Malthus: « *Une grande augmentation de produits avec un nombre stationnaire de consommateurs et des besoins reduits par la parcimonie, occasionneront de toute nécessité une grande chûte dans la valeur des produits estimée en travail, tellement que le même produit, qui aura coûté le même travail qu'auparavant, ne pourra plus en acheter la même quantité.* » Observandum autem, hoc casu multa exstitisse media nova, quibus numerus adauctus hominum vivere possit et se sustentare. Jam, si vera est doctrina, populi numerum increscere constanter tunc demum, quando nova oriuntur media se sustentandi, cujus doctrinae ipse Malthus exstitit auctor, admittere non possumus, quam Malthus dicit adesse: « *une grande augmentation de produits, avec un nombre stationnaire de consommateurs et des besoins reduits par la parcimonie.* » Per nova itaque haec media increvit etiam populi munerus, qui efficit, ut generalis abundantia rerum confectarum exsistere non possit.

Jam vero, cur opus est hominibus, qui ad confec-

tionem mercium non concurrunt immediate, uti milites, ii, qui ex reditibus civitatis victum quaerunt, qui munere publico funguntur etc., ut consumatur tota rerum confectarum quantitas? Sibi ita obloquitur Malthus, qui inertiam, propter quam homines conficere nolunt, contrariam putat rerum venditioni, (*aux débouchés*) et inertiam, ut verbo hocce utar, eorum, qui tantum rerum consumtioni vacant, neque ad confectionem rerum novarum concurrunt, venditioni favere contendit: contraria autem venditioni duobus videtur casibus pigritia. Ii enim, qui tributa solvere debent, pecuniam suam, quam nunc eum in finem expendunt, alibi et in alias res adhibuissent. Ita multo facilius impetrarent, quibus indigent, uti recte animadvertunt Ricardo aliique, quorum doctrina habetur exposita C. II. § 2 (1). Ex dictis patet etiam, eos, qui ipsi res conficiunt, optime etiam res novas consumere, eorumque consumtionem civitati multo magis convenire, quam consumtio eorum, qui ipsi non conficiunt. Hoc planius evadet, si conferimus ea, quae de bonâ divitiarum distributione supra diximus. Nulla itaque idonea ratio adesse videtur, propter quam cum Malthusio contendamus, classem eorum, qui tantum rerum consumtioni vacant, esse necessariam, ut continuo divitiae increscere possint, cum sine eâ melius etiam prospiciatur rerum venditioni in civitate, quam quando ea adest.

Praeterea accumulatio sortis non nisi lente admodum

---

(1) Consumtioni, quâ res plane pereunt, minime favet etiam Greveliik, *de summi Imp. curâ*, p. 17 sqq.

procedit; antequam enim homines accumulare possint sortes, vivere debent, et vivendi ratio vulgo eo majores requirit expensas, quo ditior quis est. MALTHUS etiam existimare videtur, rem confectam, cui parcitum est, esse valorem, qui consumi plane non debet; hoc vero non ita se habet, cum tantum sit valor consumtioni, quâ res pereunt, subtractus, ut addatur sorti et adhibeatur denuo ad novam confectionem.

Videmur ita ad exemplum SAYI (1) refutasse MALTHUSIUM et qui cum eo faciunt, quod ad hoc argumentum.

Generaliter autem probanda nobis videtur doctrina RAVII, RICARDII, MAC CULLOCHII, SAYI etc. et quidem has maxime ob rationes. Alio loco jam vidimus, majora rerum confectarum pretia non esse ea, quae maxime civitatibus conveniunt, ideo quia sic multum iis, qui consumunt, aufertur, ut detur iis, qui res novas conficiunt: sed ea expetenda esse pretia diximus, quae omnes restituant expensas, i. e. quae etiam ipsi ei, qui negotium suscepit, certum praebent praemium pro labore adhibito. Ita enim consulitur iis, qui utendo res consumunt, et iis, qui eas conficiunt: et his quidem duplici modo: primum enim tamquam iis, qui res novas conficiunt, qui praemium recipiunt pro labore et porro, tanquam iis, qui utendo res consumunt, qui ceterarum rerum, quas appetunt justum solvunt pretium. Consumtio itaque non est augenda, ut pretia rerum increscant. Praeterea sententia: per consumtionem, quâ res plane pereunt, augeri divitias, aliquid contrarii in se

---

(1) SAY, *Lettre deuxième à Mr.* MALTHUS post opus MALTHUSII, *Princ. d'éc. pol.*, p. 49 sqq., et apud RAU, *Malthus und Say*, p. 87 sqq.

continere videtur, quoniam quidem divitiis adauctis crescere possunt divitiae, non vero divitiis diminutis, quod obtineret, si per consumtionem, quâ res pereunt, decrescere eae dici possent.

Generaliter autem dicere nobis posse videmur, res esse consumendas ideo, quia conficiuntur vulgo, ut permutari cum aliis possint et ita consumi, jam, si non permutantur, non consumuntur, ideoque neque proposito respondent: aequilibrium inter confectionem et consumtionem, quâ res novae conficiuntur et quâ res pereunt, simul est necessarium, ita ut consumtio, quâ res novae conficiuntur, paulo major semper evadat, quam consumtio, quâ res plane pereunt. Res confectae vero consumendae videntur, sive ita plane pereant, sive ad res novas conficiendas adhibeantur, neque exinde societas minus fœlix facta esse dici potest, nempe si consumtio vere est utilis, quoniam per eam satisfit demum iis, quae ad necessitates et voluptates hominum inserviunt, et eum in finem divitiae omnino sunt adhibendae. Confectio enim novos creavit valores, qui novos praebuerunt reditus; et si confectio ita augetur, augentur etiam reditus, pars eorum adhibetur ad consumendas plane res confectas, parti parcitur, ut inserviat novae et majori confectioni, et ita intellectu non est difficile, quomodo consumtis rebus confectis, per parsimoniam semper major exsistat rerum confectio, et quomodo per eam augeri possint divitiae. Exemplo hoc illustremus: notemus tres confectionis periodos: primâ periodo, confectio est parva, ideoque paucae tantum res consumendae sunt; sed consumtio, quae concurrit ad res novas conficiendas, opportunitatem praebet, per hypo-

thesin, novae confectioni paulo majori, quae constituit secundam periodum: confectio ansam dat et majori facultati consumendi et pluribus rebus confectis: et revera sic plures res consumentur; tertiâ periodo tunc, quoniam plures etiam res consumtae erunt, praebet majorem quantitatem rerum confectarum, quae tunc rursus consumentur, sive ut pereant sive ut denuo adhibeantur, et ita porro; accrescunt ita divitiae et ita recte se habet, quod dicit MAC-CULLOCH, a mutuâ ratione consumtionem inter et confectionem incrementum pendere vel diminutionem divitiarum nationis.

Recte autem RAU notasse videtur, quomodo per defectum consumtionis rerum unius generis, etiam res alius generis inemtae manere possint, neque improbandae videntur causae hac opportunitate a RAVIO prolatae, propter quas res inemtae manere possint.

Hoc igitur dicendum videtur, quod ad argumentum hujus §, consumtionem, quâ res pereunt, non augendam esse per media arte adhibita, uti vult MALTHUS; nam quae artificiose sic fiunt, fere semper contrarium habent effectum, uti ex aliis locis effici potest. Consumtio vero sponte augetur, si aucta est rerum novarum confectio, sed augenda est consumtio, quae majori confectioni opportunitatem praebet, nam haec tunc rursus fit causa novae majoris consumtionis tam ejus, quâ res novae conficiuntur, quam ejus, quâ res plane pereunt.

§ 8. *De tributis et vectigalibus.*

Minime cum iis facere possumus, qui tributa et vectigalia industriae utilia putant, et qui in iis ani-

madvertere sibi visi sunt remedium, quo succurratur venditoribus, qui difficulter res suas vendere possint. Putant scilicet, sortes posse nimias fieri, tributa et vectigalia eas restringere et ideo ea esse utilia. Ita hanc doctrinam profert SISMONDI; supra vero rejecimus jam ejus de accumulatione sortium doctrinam, itaque sponte patet, nos cum eo non facere, quum hanc utilitatem celebret tributorum et vectigalium.

Contendit MALTHUS, ea esse ideo utilia, quoniam augent maxime divitias nationis per consumtionem factam ab iis, qui solum per tributa vivere possunt, quoniam ii, qui industriam exercent, ipsi non sufficerent ad consumendas omnes res confectas, jam vero si conferimus ea, quae in praecedentibus monuimus paragraphis, facile apparebit, nos cum MALTHUSIO ne hac quidem in re consentire posse. Rectissime vero dicit MAC-CULLOCH (1): «*The consumption of the classes mentioned by* Dr. SMITH *is advantageous, because they render services, which those, who employ them, and who are the only proper judges in such a case, consider of greater value, than the wages, they pay them. But the case would be totally different were government and those, who employ labourers to do so, not in order to profit by their services, but to stimulate production by their consumption! It is absurd to suppose, that wasteful consumption can ever encourage production. A man is stimulated to produce, when he finds a ready market for the products of his labour, that is, when he*

(1) MAC-CULLOCH, *Princ. of pol Ec.*, p. 539 sq.

can readily exchange them for other products. And hence the efficient and only real encouragement of industry consists, not in an increase of wasteful and improvident consumption, but, as was formerly shewn in an increase of production.» Potius itaque eorum nobis probanda videtur sententia, qui tributorum, quod ad hujus certe quaestionis argumentum, utilitatem nullam pronuntiant.

Recte monet RAVIUS: utile esse, si viri sumtibus civitatis adhibiti (qui sunt iidem illi, qui res confectas consumunt sine operâ praestitâ ad eas conficiendas), ad salutem communem suum conferunt. Sed nimium iis solvi potest honorarium, quod nullo modo comparari potest cum bono, quod civitati sic afferunt. Civitas enim certa eaque magna commoda civibus praebet, non itaque contendere possumus, per tributa injuriam inferri singulorum dominio; justum enim est, ut a singulis certa conferatur pars eorum, quae possident, ut merces debita praestetur illis, qui praesunt civitati, quibus commoda itaque illa pro maximâ parte debentur; quoniam hi operam adhibent, quâ efficitur, ut civitas tanta commoda afferre possit, quanta cives inde percipiunt; sed exinde quod in civitate omnia ita composita esse debent, ut saluti quam maxime omnium consulatur, intelligitur facile, tributa et vectigalia fieri injusta, quoties per ea exigitur pars nimis magna eorum, quae quisque possidet, si ratio habetur commodorum, quae affert civitas (1).

(1) RAU, *Lehrb.*, I. § 336 cf. Cons. GREVELINK, *de summi Imp. curâ*, p. 123 sqq. Cons. J. E. VAN PANHUIS, Diss. *de tributis*, LB. 1833. p. 25 sq.: dicit hac de re SISMONDI, *Nouv. p.*, II. p. 158: «*L'impôt*

Negari tamen nequit, tributa relinquere electionem tantum inter multa mala, uti recte docuit RICARDO (1). Haec mala homines in civitate viventes pati debent, ideo quoniam civitatis commoda multo superant incommoda tributorum aliaque; sed tributum revera malum est, uti merito observarunt idem auctor aliique, (de quibus in cap. II quod ad hoc argumentum attinet, locuti sumus) quia tendit ad impediendam accumulationem sortium. Per tributa, dicit porro RICARDO, pretium vulgare rerum confectarum augetur, quoniam illud constituunt sumtus ad earum confectionem necessarii (2). Jam pretium semper illud, quod restituit sumtus confectionis, accipere debet confector, quoniam alioquin damnum patietur et in mercium earum confectione progredi non poterit. Atqui auctis sic pretiis per tributa, magis magisque difficile erit, ut confector recipiat sumtus erogatos. Quod ad tributa attinet, quae ipsi confectores praestare debent, id ita facile intelligitur. Quodsi tributa sunt solvenda ab ipsis iis,

---

est un mal, seulement autant que c'est un mal d'acheter par un sacrifice la chose, dont nous avons besoin, ou envie; mais aussi c'est un bien, si cette chose vaut mieux pour nous et nous procure plus de jouissances que le sacrifice par lequel nous l'avons obtenue, ne nous en ôte. Si la société était bien administrée, cela devrait être toujours ainsi, car il doit toujours y avoir économie à reunir pour un but commun les efforts de plusieurs, plutôt que de chercher à l'atteindre par une suite d'efforts individuels.» Cf. GREVELINK, *de summi Imp. curâ*, p. 118 sq.

(1) RICARDO, *Princ.*, I. p. 272. Cf. GREVELINK, *de summi Imp. curâ*, p. 77.

(2) Recte itaque etiam se habent, quae dicit MAC-CULLOCH de exiguitate lucri ejusque effectibus, cujus etiam tributa causam aliquando esse refert.

qui res consumunt, idem fere est effectus, quoniam sic consumtores directe tantum solvunt Imperanti, quod alioquin ipsis confectoribus solvissent. Patet ita, semper illum tributorum esse effectum, quod rerum confectarum pretium augeatur.

Sed alio loco RICARDO contendit, nihil referre, utrum sint confectores, qui ipsi omnia, quae lucrati sunt, consumant, an partem tanquam tributum solvere debeant, quam consumant ii omnes, qui ex tributis vivunt. Hoc cum SAYO negandum putamus: dicit enim RICARDO ipse, per tributa rerum pretia crescere; hoc ei concessimus; si itaque tributa non sunt, rerum pretium erit vilius: hinc sequitur, multum interesse, utrum pars, tanquam tributum solvenda, consumatur ab ipsis confectoribus sine tributis, an vero ab iis, qui ex tributis victum petunt: dicit hac de re SAY (1): «*Lever des impôts exagérés — c'est augmenter les frais de production, sans accroître l'utilité des produits, sans rien ajouter à la satisfaction que le consommateur peut en tirer; c'est mettre une amende sur la production, sur ce qui fait exister la société; et comme, parmi les producteurs, les uns sont mieux placés que les autres, pour rejeter sur leurs co-producteurs le fardeau des circonstances, elles pèsent sur certaines*

(1) SAY, *Lettres à Mr.* MALTHUS, post opus MALTHUSII, *Princ. d'éc. pol.* p. 93. Conferri potest hac de re Cons. DEL COURT, sp. *de Nundinis* cum dicit p. 83: «Quo magis enim tributis impedimentisque oneretur mercator, eo cariora evadere producta, nobis compertum habemus, idque tam consumenti quam producenti maximo esse detrimento plane nobis persuasum est.» Quam sententiam ulterius persequitur pp. sqq. Cf. idem spec. l. c. p. 116 sqq., et GREVELINK *de summi Imp., curâ*, p. 93 sqq.

classes plus que sur d'autres.» (1). Itaque si tributa magna sunt solvenda, rerum pretium vulgare increscet et quisque ex reditu suo minoribus frui potest voluptatibus, quam si, tributis levioribus, rerum pretium mansisset vilius (2): hinc confectores ipsi, si illos tamquam eos, qui res confectas consumunt, consideramus, pro labore suo revera minus percipiunt lucrum, licet valor qui dicatur (*la valeur nominale*) sit idem; hinc obtinet, ut ii, qui ex tributis victum petunt, eodem illo valore, qui nomine certe idem dicitur, accepto, minus consumere, minores sibi voluptates comparare possint, quam potuissent universe consumere, si tributa tanta solvenda non fuissent (3). Supra, cum de concursu venditorum locuti sumus, monuimus, anomaliam nobis adesse videri, quod concursus fere plenus obtineat inter confectores, non vero obtineat item inter eos, qui consumunt; ibi hujus facti notavimus incommoda. Hoc loco autem monendum est, (quod jam maxime, ut nobis videtur, fit perspicuum), tributa, quoniam efficiunt, ut pretium rerum increscat, dum tamen non praebent

(1) Exemplum praebet Angliae conditio post pacem anni 1815, dicit hac de re von Gülich, *Ueber die gegenw. Lage* etc., p. 66. Cf. p. 95 sqq.

(2) Cf. von Gülich, o. l. p. 91, qui hujus rei exemplum praebet.

(3) Greveliñk, *de summi Imp. curâ*, p. 117, praebet tabulam, in quâ nonnullarum rerum consumtio in Hiberniâ exhibetur ante tributa adaucta et post tributa adaucta; et consumtio eorum ita erat diminuta, ut tributa licet adaucta ne quidem eandem referrent pecuniae summam, ac praestiterant olim ante eorum augmentum; unum ex illâ tabulâ afferamus exemplum: tributa herbae Nicotianae sive tabaco imposita ante eorum augmentum referebant 744,600 libr. st. post augmentum 677,000; valor tabaci consumti antea fuerat 6,484,000 libr. st. postea tantum 2,414,000, libr. st.

majus commodum vel confectoribus vel iis, qui res consumunt, maxime fieri causam hujus anomaliae (1). Saepius tributa efficiunt, ut sortium collocatio, ut earum rerum confectio, quae alioquin magnam praebere potuissent lucrum et concurrere efficaciter admodum ad prosperitatem communem augendam, jam fiat damnosa propter majora rerum pretia, quae exstiterunt: tunc homines coguntur ad sortem suam erogandam in alium usum, in aliam collocationem (2), quam permutationem semper gravia concomitantur incommoda; atque hujus damni denuo tributa gravia erunt causae. Valet quoque hac de re quod observat SAY: «*C'est un grave inconvénient, que de détourner l'industrie de sa pente naturelle. Un pareil changement n'entraine-t-il pas de grandes pertes de capitaux?*» Ex his omnibus patet, quam vim in argumentum nostrum habere possint tributa, itaque ea ad augendas divitias ducere nequaquam censemus, sed afferunt semper incommoda, quae pati debemus, ut nanciscamur commoda ab ipsâ civitatis institutione nobis praestanda.

§ 9. *Nostra qualiscunque de ipsâ quaestione sententia.*

Accuratius jam totam nostram perpendamus quaestionem, ita tamen, ut non repetamus ea omnia, quae hîc et illic, cum de singulorum scriptorum sententiâ loqueremur, jam diximus.

---

(1) Quam maxime hoc confirmat Angliae conditio vid. VON GÜLICH, *Ueber die gegenw. Lage* etc., p. 127 sqq.

(2) Cf. VON GÜLICH, *Ueber die gegenw. Lage* etc., p. 133.

Si de quaestione, qualis est nostra, aliquando judicare volumus, necesse videtur ut primo accuratam nobis praebuerimus et certam notitiam eorum, quorum interest in civitate, ut prosperitas in eâ habeatur quam maxima. Ii itaque quam maxime sunt attendendi, qui populum efficiunt et universe veniunt nomine consumtorum, quoniam haec classis in se continet homines omnes in civitate viventes, non solum eos, qui huic illive industriae generi operam navant, sed etiam qui industriae ejusmodi non vacant. Horum commodum sane praecipue est attendendum, quoniam ita quam maxime prospicietur omnium saluti. Olim saepe Imperantes consuluerunt certae tantum hominum classi, ita ut his illisve opificibus faveretur; concedebantur v. c. monopolia, vel alia privilegia, quae concedi vix poterant, nisi cum injuriâ illatâ aliis classibus hominum, quarum cum damno illi opifices jam ditiores redderentur. Attamen si dicimus, favendum esse iis, qui res confectas consumunt, non hoc volumus, ut iis faveatur cum damno confectorum, ut v. c. confectores vendere cogantur minore pretio, et ita damnum patiantur. Spectetur itaque commune commodum universorum. Igitur prosperitatem publicam et salutem communem plane jam cogitatis nostris amplecti conemur, et eum statum nobis informemus, quo commoda confectorum et consumtorum optime componuntur.

Sismondi et Malthus, quod ad hanc attinet quaestionem, ideo maxime tot et tantos videntur commisisse errores, quod fere unice respexerint commoda eorum, qui industriae quoddam genus exercent, querentes semper de exiguo mercium pretio, et de iis omnibus, quae

videntur quam maxime salutaria et nostris temporibus optime convenientia, si universorum commune commodum spectetur. Hoc commodum attendentes primum jam videamus, an improbandum sit systema libertatis industriae, quod nostro tempore magis magisque jam invalescere incepit, et porro an illud locum det revera illis gravissimis calamitatibus, de quibus nostra quaerit disputatio.

Quod ad primum attinet, licet longe abest, ut contendere velimus, plenam omni in re adesse debere aequalitatem inter homines omnes, tamen eam fovemus sententiam, prosperitatis quam maximam opportunitatem praebendam esse unicuique, omnesque homines, singulos in statu suo, jus habere aequum in laboris sui praemia percipienda et vitam bene degendam. Jam hoc obtineri nequit, nisi quisque ea sibi comparare possit, quae ei sunt necessaria vel quae facere possunt ad vitam ejus jucundiorem reddendam. Jam systema illud libertatis industriae revera eo tendere luculenter nos docet historia. Quid enim videmus primum tempore medii aevi in ipsâ nostrâ Europâ? Divisio habebatur hominum in liberos maxime et servos; hi autem perpaucis fruebantur vitae commodis et voluptatibus, dum ceteri, ratione habitâ temporis, quo viverent, omnibus fere gaudebant; deinde hîc et illic e servis in dies fere plures facti sunt liberi; jam pluribus bonis gavisi sunt et majoribus voluptatibus, quibus antea non gaudebant. Ita factum, ut in Europâ tres maxime hominum enascerentur classes, nobiles, liberi, servi, quibus accederet quarta classis hominum, clericorum scilicet, quae olim liberorum classi annumerari potuit, jam

autem constabat nobilibus et iis, qui liberi facti fuerant (1). Libertas vero magis magisque sic invalescebat fere ubivis in Europâ, ita ut servitus plurimis in regionibus tolleretur. Licet vero ita homines fere omnes sensim sensimque ad libertatem pervenissent in Europâ, et non nisi perpauci superessent servi, ratione habitâ numeri incolarum Europae, tamen vigebant ubivis adhuc certa quaedam privilegia huic illive hominum classi propria, quae efficerent, ut libertatis commoda inique inter homines distribuerentur. Jam vero, uti Capite I vidimus, intervenit rerum conversio Francica in fine saeculi praeteriti, cujus occasione systema libertatis industriae majorem etiam nactum est vim, et magis aeque et juste vitae commoda inter omnes homines distributa sunt.

Vires et facultates industriae humanae quam maxime sunt auctae; hinc nostris temporibus quam maxime habetur rerum copia, qualis ea antea fuit incognita; factum hoc est per multas novas inventiones, quae jam praesertim ultimis 60 vel 70 annis locum habuerunt. Ita res novae potuerunt confici multo majore numero, multo minoribus sumtibus, quam olim. Accedebat huc, quod in ipsis operis perficiendis major relinqueretur libertas, ita ut non amplius tantum hi illive jure possent vires suas et industriam adhibere ad hoc vel illud efficiendum, sed omnibus id jam liceat, qui instructi sunt iis, quae requiruntur ad in-

---

(1) Cf. de his A. Kluit, *Hist. der Holl. Staatsr. tot aan het jaar 1795 etc.*, T. IV. p. 62, et multis sqq. et quae praefatur Robertson, *ad Historiam* Caroli V.

dustriae speciem exerçendam. Ita permulti concurrerunt ad idem industriae genus factitandum, quod necessario ita locum habere debebat, si non una pars hominum in civitate frueretur commodis, altera detrimentis. Hinc ii, qui industriam exercent quamdam, minore lucro contenti esse debent, majorem etiam simul omnium rerum confectarum vendere. Rerum pretium ita factum multo vilius, et iisdem rebus, quibus antea pauci tantum homines iique ditissimi fruebantur, jam hodie vulgus etiam hominum gaudet. Major rerum confectarum copia unâ cum concursu confectorum ita locum dedit meliori bonorum distributioni, quoniam divitiae multo magis aequaliter et inter multo plures homines sunt distributae; porro eadem locum dedit multo majori consumtioni, quoniam multo plures homines propter meliorem rerum confectarum distributionem, propter rerum vile pretium eas sibi facilius comparare possunt, quam antea: multo plures homines itaque fruuntur hujus vitae commodis et voluptatibus. Maxima commoda itaque hoc systema attulit: sed ab alterâ parte, factum est aliquando, ut ii, qui merces confecerant, vendere eas non possent, nisi cum damno (1): quaestio ita est orta, an haec incommoda et detrimenta sint tribuenda novo systemati libertatis industriae magis magisque invalescenti? De hac re jam videamus.

Permulti ubique fere queruntur de rerum conditione, qualis ea hodie habetur, permulti queruntur, quod

(1) Exemplo nobis sit Angliae conditio annis 1807, 1818 sq. 1825. Cf. Sismondi, *Nouv. pr.*, I. p. 364, et von Gülich, *Ueber die gegenw. Lage* etc., p. 33 sqq. 108.

tanta lucra amplius sibi comparare non possint: queruntur saepissime, quod merces suas, quod res confectas vendere nequeant, quod damnum sic patiantur. At, licet hoc aliquando obtinere possit, et revera exstiterit, tamen id non ita vulgare putamus, ut id referunt ii, qui hac de re queruntur. Neque querelas illas nos debemus mirari; sunt enim illae fere omnes eorum, qui industriam quamdam exercent, quique gravissima certe detrimenta jam sentiunt, quod monopolia et privilegia antiqua non amplius servata sint. Minore lucro jam contenti esse debent; nondum igitur novae rerum conditioni sunt adsueti; certe systema libertatis industriae favet et iis, qui industriam exercent, et iis, qui res confectas consumere debent; systema vetus multo magis iis, qui res novas conficiebant, favebat, quam iis, qui eas consumunt; quid mirum itaque, confectores jam queri de novâ rerum conditione? etiam hac in re proprii commodi cura uberrimus est fons querelarum: ii, qui industriam exercent, magis haud dubie spectant, quid suâ intersit, quam quid intersit totius reipublicae. Sed, licet haec ita se habere videantur, negari tamen nequit, revera aliquando merces quasdam vendi non potuisse: inquiramus jam in hujus rei causas, ita ut primo de iis nonnulla moneamus generaliter et deinceps singulas nonnullas tradamus res et causas, quae calamitati illi ansam praebuisse videntur.

Quod ad causas illas generaliter attinet, videntur regulae certae et generales vix dari posse. Videntur tantum hic et illic tradi posse nonnullae res et causae, quae effectum ejusmodi habuerunt, ut res omnes con-

fectae vendi non possent (1). Quod attinet in specie ad systema libertatis industriae, hoc systema ipsum vera calamitatis causa non esse videtur, sed existere malum ex rebus et causis, quae systema illud aliquando concomitantur. Quaenam proprie sit causa, quae venditionem impediat, exquirendum est singulatim ex tempore, quo id factum est, ex loco, ubi id obtinuit et conditione, quâ eo tempore, eo loco, erant populi et Imperantes, qui in illo peculiari casu in censum veniunt. Nonnullae autem videntur indicari posse res et causae, quibus saepe casus, de quibus dicimus, debentur. Quod autem ad rem ipsam attinet, supra saepius jam significavimus, nos minime facere cum iis, qui generalem rerum nimiam copiam agnoscunt. Certe dici non potest generalis nimia adesse abundantia ibi, ubi permulti miseriae et indigentiae adhuc sunt dediti; ubi multi adhuc moriuntur, nisi fame et inediâ, certe per calamitates, quae vitae et vivendi generi egenorum solent esse propriae, qui saepe ne quidem sibi necessaria comparare nequeunt. Fatetur quidem SISMONDI, ratione eorum sic non adesse nimiam generalem rerum copiam, sed contendit, eam obtinere ratione facultatis emendi; sed ne hoc etiam admitti posse, mox videbimus: nunc autem tantum animadvertamus, ne secundum ipsam

---

(1) Nec aliam sententiam tuitus fuisse videtur Cons. DEL COURT, spec. *de Nundinis*, dicens th. XIII: «Quum homines hisce temporibus saepe querantur multa producta vendi non posse, plures opinati sunt, hujus rei causam habendam esse majorem, quâ hodie utimur, producendi vim. Horum vero sententiae accedere non possum, aliisque potius causis id tribuimus, veluti perversae diversorum populorum inter se invicem necessitudini, nimis inaequali divitiarum distributioni similibusque.»

Sismondii sententiam illam, contendi posse generaliter nimium mercium confici: numerus enim hominum miseriae deditorum ostendit satis, nondum satis mercium confici, quoniam semper adhuc remanent, qui necessariis quam maxime indigeant; eaque sibi comparare non possint. Quamdiu hi homines ita egeni adsunt, tamdiu dici nequit generaliter nimium confici.

Minime autem mirum est, hodie obtinere aliquando, ut res quaedam vendi nequeant: scil. in systemate liberae mercaturae, in quod jam se conferunt magis magisque Europae populi, animadvertere licet conditionem gentium hodiernam ejusmodi, quâ progrediuntur a veteribus institutis ad novum rerum statum; constituit igitur in multis, ut videtur, conditio praesens statum transitionis, in quo hujusmodi casus frequentiores esse, nemo mirabitur; pro parte inhaeretur veteribus institutis, pro parte vigent quaedam nova; ita multa sunt turbata neque congruunt, alia aliis non respondent; organa singula in civitatibus non aequam et singulis convenientem exercent vim; sed quum hoc jam alibi paucis exposuerimus, cum loqueremur de concursu venditorum et Imperantis interventione Cap. III § 3 et 4, haec jam ne repetamus.

Quid itaque faciendum? Videtur respondendum esse, tempus multum, permultum, hac in re esse effecturum: tempus efficiet, ut paulatim et gradatim vetera ea et antiquata prohibitorii systematis instituta ex usu recedant, ut vetera instituta universe non amplius commixta habeantur cum novis, quae sibi invicem non conveniunt, vel cum novis non coalescunt. Ita sensim sensimque singula organa industriae justam suam ex-

ercebunt vim; omnia magis rursus sibi respondebunt et crescet singularum civitatum prosperitas: haec autem non videntur festinanda; suo loco, suo tempore omnia ea obtinebunt locum, si quis vero ea properare velit, turbas et calamitates reddet plures et majores.

Agnoscimus ita, fieri posse, ut res alicujus speciei nimiâ copiâ sint confectae. Videamus jam de ejus rei causis magis in specie.

Primo respicienda ipsa industria videtur, et quod ad eam attinet, fateri non dubitamus, nos facere cum Sayo ceterisque, qui ejus tuentur doctrinam, nempe alicujus speciei nimium posse esse confectum, generaliter non posse; porro, res confectas proprie emi rebus aliis confectis, vel, ut accuratius loquamur, res confectas proprie inter se permutari: itaque, quo plures res permutandae adsunt, eo magis accrescent emtiones et facultates emendi, si igitur tunc aliquarum rerum nimia adesse videtur copia, id ipsum ostendit, ni fallor, aliarum rerum esse defectum. Jam, ut perspicuitati consulamus, sumamus duo mercium genera, pileos et saccharum; pileorum venditores veniunt in Indiam occidentalem: vendere volunt eos pileos, si saccharum pro iis recipere possunt, cum Indiae hujus partis Occidentalis incolae nihil aliud habeant, quod in permutationem dent. Adsunt quidem in Indiae eâ parte, quam navis appulit, capita hominum satis magno numero, iis pileis tegenda, sed minime satis sacchari adest, ut pretium satis magnum solvi sic possit, et cum nihil amplius habeant, quo solvant, pileorum magna pars manet inemta, et eo loco, eo tempore, ibi habetur pileorum nimia abundantia. Quid

autem inde potest effici? Vel pileorum nimium esse confectum ratione habitâ facultatis emendi incolarum Indorum, vel sacchari nimis parvam quantitatem esse confectam ratione habitâ pileorum; hoc ultimum potius contenderemus. Aderant, ut supposuimus, homines satis magno numero, qui pileos omnes adhibere possent, sed eos emere non poterant: cur? Quoniam a suâ parte non satis fuerant industrii, quoniam non satis confecerant, ut jam possent emere ea, quibus indigerent. Defectus igitur obtinebat in mercium vendendarum copiâ.

At nonne videmus apud nos, ita reponunt adversarii, apud Europae et aliarum mundi partium populos, rerum hodie magnam haberi abundantiam ab unâ parte, ita ut saepius merces nonnullae vendi nequeant? Fatemur id verum esse, sed ab alterâ parte videmus centena millia hominum, qui si sibi necessaria comparare possunt, non etiam nisi necessariis uti possunt; hi, si quid ipsi confecissent, quo res ad vitae cultum spectantes emerent, has haud dubie emissent. Idem itaque obtinet, quod in exemplo citato; et non immerito dicere possumus, si adest alicujus speciei rerum nimia abundantia, causam esse defectum aliarum rerum, quae permutandae cum illis fuissent. Haec valent de confectione universe ipsâ, videamus jam de iis, quae ad rerum confectionem concurrunt.

Sponte fere ex iis, quae notavimus de confectione, efficere quis potest, quae nostra sit sententia de sortibus earumque incremento. Contendimus, dici non posse nimium generaliter confici. Ideo etiam contendimus, sortes generaliter nimis non posse increscere;

observavimus autem nimiam omnino quantitatem rerum unîus speciei posse confici. Hinc sequitur, sortes ratione habitâ unîus speciei rerum posse esse nimias: si igitur sortes jam nimis abundanter adhibentur in confectionem rerum unîus speciei, idem obtinebit, nempe quod earum rerum nimia conficiatur quantitas. Mala collocatio sortium, et inde orta abundantia certarum mercium, tunc efficiunt ut res confectae omnes vendi nequeant. Duplici modo sortis collocatio ad id concurrit: primo nempe, quod earum rerum nimia conficiatur quantitas, in quarum confectionem nimia sors est collocata et, porro quod sortium pars nimis parva sic adhibeatur in confectionem aliarum rerum, et aequilibrium itaque inter res confectas secum invicem permutandas duplici modo est ruptum: primo, per majorem abundantiam illarum rerum, quae nimio numero sunt confectae, propterea quod majores sortes in earum confectionem sunt erogatae, quam rei necessitas requireret: et porro per defectum rerum confectarum, quae numero non satis magno adsunt, propterea quod, sortibus in illarum rerum confectionem collocatis majoribus, non satis magnae sortes adhiberi possent in confectionem rerum, quibuscum illae permutarentur. Jam hunc casum saepius exsistere in civitatibus existimamus, et opportunitate systematis libertatis industriae id ita exsistere negare non possumus.

Olim, cum omnia per monopolia regebantur, nimis magna obstabant impedimenta, quam ut sortes nimiae facile in confectionem singularum rerum adhiberi possent; jam vero ii, qui sortes possident omnes, ad confectionem possunt concurrere, et cum hi saepissime

leviter admodum ad industriae quoddam genus se conferant, non satis ratione habitâ eorum, quorum indiget civitas et eorum, qui cum iis eidem industriae se tradunt, saepe fieri potest, ut alicujus speciei rerum nimia conficiatur copia, propterea quod, qui ita concurrunt, nimias in certarum rerum confectionem adhibuerint sortes. Ab alterâ parte vero negari, nequit systema libertatis remedia etiam in se continere, quae efficiunt, ut hi casus neque sint adeo graves, neque diu vim exercere pergant. Multo facilius enim nunc sortes ex operis minus fructuosis extrahi possunt et in aliam adhiberi, quam si obstant tot tantaque impedimenta, qualia monopolia et privilegia in se continebant olim. Has itaque rationes, cur res vendi nequeant, si ita consideramus, confirmatur sententia supra iam proposita, eam calamitatem oriri occasione ejus systematis, non vero ex eâ necessario provenire. Porro autem considerandos eos casus putamus tamquam mala temporaria et parva, ratione habitâ ingentis utilitatis, quam ipsum illud systema nobis affert.

Ex dictis jam patet, quid sentiendum nobis videatur de machinarum in industriâ usu: hunc quam utilissimum esse putamus; per machinas vires industriae sunt quam maxime auctae, per eas propter vile rerum confectarum pretium universis magis magisque consulitur hominibus, divitibus et pauperibus simul, et si quae exsistunt incommoda et mala in initio, quando adhiberi incipiunt, haec comparari possunt cum iis, quae exsistunt ex quâque permutatione collocationis sortis, ideoque sunt temporaria et levia certe, si ea comparamus cum maximâ utilitate, quam machinarum usus in industriâ

gignit. Si autem per machinas alicujus speciei nimia est confecta quantitas, haec tunc proprie est sequela sortis nimis magnae in earum confectionem adhibitae; machinae enim partem sortis constituunt.

Quod attinet ad concursum venditorum et ad quaestionem, utrum summus Imperans se immiscere debeat rebus ad industriam facientibus, nec ne? illum concursum generaliter putamus utilem nostrisque temporibus quam maxime consentaneum; alio loco autem ostendisse nobis visi sumus, aliquando concursum illum efficere posse, ut quaedam res vendi nequeant. Imperantes autem quam rarissime videntur nobis se immiscere debere ipsis industriae negotiis; vulgo quisque optime scit, quid suâ intersit, illud semper ante oculos habet et curat, ut quam maxime sibi prospiciatur, uti supra latius explicuimus. Si autem intervenit Imperans, saepissime id facit, ut faveat iis, qui damnum metuunt propter malam sortium collocationem; haec interventio autem perniciosa ita debet esse civitati, quia sic efficit, ut sors maneat adhibita modo minime probando. Omne itaque auxilium, quod ab Imperante eo casu affertur, ut eae collocationes sortium pravae lucrum earum dominis vel iis, qui negotia, quae minus conveniunt, susceperunt, adhuc proferant, et ut sortes ita adhiberi pergant in iis collocationibus, id omne obtinet in damnum civitatis totius: locum ita habent ea omnia, quae oriri ex malâ collocatione sortium supra docuimus.

Monuimus ita de iis, quae dicenda videbantur de confectione, ratione habitâ nostrae quaestionis. Superest, ut dicamus nonnihil de iis, quae spectant distributionem et consumtionem.

Supra paucis additis animadversionibus probavimus MURHARDI et DUNOYERI doctrinam: itaque etiam hoc loco suffragium iis non denegabimus. Existimamus cum iis, distributionem, quâ pauci permagnis, plerique fere nullis gaudent divitiis, venditionem minus frequentem reddere, quo facilius etiam hujus illiusve generis res nimio adsunt numero; probavimus etiam, quae praeterea monuerunt iidem de hujus distributionis fundamento et de iis diximus, quae inserviunt ad distributionem ejusmodi efficiendam, qualis maxime optanda videatur. Systema autem liberae mercaturae huic malo videtur remedium afferre, quum tendat ad distributionem divitiarum magis aequalem reddendam, uti supra latius illud explicuimus. Possunt, scilicet, vi hujus libertatis omnes in civitate homines partem sibi comparare in industriâ exercendâ. Sic optime distribuentur bona et opes inter quam plurimos.

Si de causis dicimus, quae efficiunt, ut res novae confectae vendi aliquando nequeant, forum vel facultatem vendendi ipsam omittere non possumus. Adsunt hujus rei saepe causae variae et a parte eorum, qui industriam exercent et a parte eorum, qui res utendo consumunt. Ita fieri v. c. potest, ut quae hodie vix satisfacere possunt necessariis, quibus civitates indigent, crastino die fiant superflua.

A parte eorum, qui industriam exercent, vendendi difficultas exsistit, quoniam quotidie novi exsurgere possunt concurrentes, qui res novas ejusdem generis conficere incipiunt, ita revera fieri potest, ut harum rerum exsistat copia major, quam necesse est. Numerus etiam eorum, qui industriam ejusmodi exercent, potest

diminui, unde contrarius exsisteret effectus. Negare non possumus, hoc esse incommodum novi systematis liberae industriae, quod ita tanto numero et indefinite homines possunt concurrere ad varia exercenda industriae genera. Sic enim facile fiet, ut aliquando hujus generis res omnes vendi nequeant, et ita obtinebit, ut per concursum saepius singulorum lucrum multum diminuatur, aut ad nihilum redigatur. Illi enim, qui concurrunt, saepius minimo lucro sunt contenti, imo primum fere cum damno operas adhibent, sperantes fore, ut a se emturi jam sint illi, qui rebus indigent, non autem ab iis, qui jam dudum in earum rerum confectione versati sunt: hoc incommodum vero tantum est temporarium: saepius enim animadvertimus, ut ii, qui majus aliquantulum pretium pro rebus confectis vel pro operâ requirunt, in earum confectione, in eâ operâ adhibendâ pergere possint, dum ceteri ab eâ desistere cogantur vulgo propter damnum, quod sic sentiunt, et sic tandem earum rerum pretium vulgare confectoribus restituet non solum expensas, sed etiam modicum aliquod lucrum relinquet.

A parte eorum, qui consumunt, attendendae maxime sunt res et causae, quae efficiunt, ut ii, qui consumunt, novis indigeant, ut vetera ex usu recedant, uti v. c. novi mores, novae consuetudines, novae vestimentorum formae, quas nos dicimus *modes* etc. Ita enim opus est novis rebus confectis, quoniam eas appetunt, eas requirunt ii, qui consumere volunt, dum aliae res confectae secundum veteres mores et consuetudines inemtae maneant, ideo, quia ex usu recesserunt. Facultas vendendi porro potest major fieri, potest restringi

vel generaliter, quoad res omnes confectas, vel etiam specialiter quoad nonnullas res confectas, vel quoad civitates omnes vel quoad civitates nonnullas per bellorum ortûs, per pacem intervenientem, per pacta et foedera inexspectata, per prohibitiones et restrictiones vel earum sublationem: ita per omnes has res et causas varias, variis temporibus et locis, facultas vendendi reddi potest incerta et cognitu quam maxime difficilis. Ita effici potest, ut nonnullarum imo ut multarum specierum res adsint copiâ tantâ, ut pars earum fiat superflua, ut ii, qui eas conficiunt, damno afficiantur, verbo, ut calamitates exsistant illae omnes, quae mercium vendendarum difficultatem solent comitari. Superest, ut pauca moneamus de consumtione et de tributis et vectigalibus.

Si consumtionem ante oculos habemus, contendere debere nobis videmur, consumtionem augeri unâ cum confectione et eâdem proportione, si impedimenta non obstant; haec impedimenta autem saepius efficiunt, ut omnes res confectae vendi non possint: si v. c. pretium rerum per artes adhibitas fit majus, uti per tributa et vectigalia, per monopolia, per instituta publica; porro si prohibitiones vel restrictiones admoventur, si per casus quosdam, uti v. c. per bellum, fora nonnulla obcluduntur etc. Ita varia admodum sunt impedimenta, quae obstant, quominus consumtio non eâdem ratione augeri possit, qua aucta est rerum novarum confectio. Sunt autem omnia haec impedimenta, res et causae ab ipsâ oeconomiae politicae disciplinâ alienae, quae nullo modo infirmant principium: consumtionem augeri unâ cum auctâ confectione. Cavendum itaque est, ne ipsi tribuatur principio, quod tri-

buendum est rebus et causis istis. Per eas autem res et causas, quae interveniunt, rumpitur justa necessitudo inter confectionem et consumtionem (1). Hoc respectu etiam improbanda videntur tributa et vectigalia, et ea minuenda sunt, quantum fieri potest. Augent enim rerum confectarum pretium, quas ita pauciores emere possunt homines, quam qui caeteroquin emissent; supra enim jam vidimus, reditus omnium hominum diminui, si augentur pretia singularum rerum confectarum.

Et sic quidem, hisce expositis, pro viribus absolvimus argumentum, quod tractandum susceperamus; quomodo officio nostro functi simus, alii benevoli judices videant, quorum quam maxime imploramus indulgentiam. Ignoscant quaeso omnibus, quae minus recte se habent, et cogitent semper, me esse juvenem, qui tulit onus, ut potuit.

---

(1) Ab hac opinione alienus non videtur Cons. DEL COURT, sp. *de Nundinis*, th. XII dicens: «Si quaeritur de efficaciâ consumtionis, productionis et parcimoniae in civitatis sorte augendâ, diversis prorsus modis responderi solet: sunt, qui potissimum consumtioni, eique, nullâ, qualiscunque sit, exceptâ, illam tribuant, ejusque imprimis rationem esse habendam dicant. Alii contra, qui in productione solâ eam ponendam, eamque, quo major sit, eo magis salutarem praedicent; alii vero, parcimoniâ civitatis sortem augeri contendunt. Nulli vero ex istis sententiis adsentimur. Ut enim alia omittamus, quae ad civitatis sortem augendam utique necessaria esse videantur, tantum dicemus, rationem praesertim inter productionem, consumtionem et parcimoniam tenendam esse, quae vero diversa omnino esse debet, pro diversâ populorum conditione.»

THESES.

I.

Non facimus cum iis, qui contendunt, Justinianum omnem vim quartae legis Falcidiae abstulisse, statuendo, testatorem detractionem hujus quartae posse prohibere: licet negari nequeat, ita propositum non attingi, ad quod adsequendum quarta legis Falcidiae instituta erat.

II.

In hereditatis venditione venditor non utitur beneficio C. 2. C. *de resc. vend.*, nisi nominatim convenerit, quid quantumve in hereditate contineatur.

III.

Ejus, quod interest debitoris, ratio habetur jure Francico, si obligatio contracta quid dubii in se continet, *Cod. Civ. fr.* art. 1162. Exceptio videtur notanda, si debitor facultatem habuit obligationem suam accuratius circumscribendi. Cf. fr. 39. *D. de pact.* fr. 21. *D. de contr. emt.* art. 1602. *Cod. Civ. fr.*

IV.

Jus, quod adscendenti art. 747. *Cod. Civ. fr.* tribuitur, minime tamquam donationis restitutio, sed tamquam verum jus successionis ab intestato considerandum est.

V.

Ex Germanis juris principiis sequitur, societatem innominatam, quae actiones edidit (*aktien*), necdum omnem a sociis inferendam pecuniam accepit, jus habere probandi vel improbandi eum, qui a socio actiones emit, nisi venditor periculum in se susceperit.

VI.

Simonistarum doctrina politica egregie ducere videtur ad maximam tyrannidem sacerdotalem.

VII.

Pactum vel tacitum vel expressum revera videtur esse civitatis fundamentum.

VIII.

De quaestione, quaenam sit optima regiminis forma, regulam generalem tradi posse negamus, eam optimam profitentes, quae convenit maxime indoli et moribus populorum.

IX.

Si princeps frumentum se daturum promisit, et tempore grassantis famis, ipse hoc frumento indiget ad alendos suos, ad promissum praestandum non est obstrictus: alterum vero, quo cum contraxit, indemnem praestare debet. Hoc nomine minus recte conveniunt, quae habent de Vattel, *Droit des Gens*, L. 2. C. 12. § 170. et Grotius, *de J. B. et P.*, L. 2. C. 25. § 7. nº. 3.

X.

De quaestione, an puniendus sit conatus, a quo perficiendo quis liberâ voluntate recessit? ita videtur existimandum: ex juris criminalis principiis conatum illum omnino poenae subesse, disciplinam politicam vero poenam ei inferri dissuadere.

XI.

Minus recte art. 2 *C. pén. fr.*, conatus criminis, qui jure fr. puniendus est, eâdem, quâ ipsum crimen, plectendus est poenâ.

XII.

Si de elementis populi virium et prosperitatis agitur, numerus civium non plane negligendus est.

XIII.

Recte se habere videtur SAYI sententia *Cours Compl.*, III. p. 13. Brux. 1832. « *Ce sont précisément tous ces produits nets de la société, qui équivalent à son produit brut.* »

XIV.

Facimus cum HEERENIO, dicenti *Historische Werke*, T. X. p. 14: « *Aus der Geschichte der Politik geht kaum ein anderes Resultat so klar hervor, als dieses: « dass die Religion stets einen höhern Grad von politischer Wichtigkeit erhält, je weiter man in der Geschichte der Völker zurückgeht.* »

XV.

Ubi Divinâ voluntate hominum indoles et animi ad majora aggredienda adducuntur, ibi plane eorum impetus reprimi nequit: recte de hoc argumento egit PÖLITZ, *Algem. Gesch.*, T. VI. p. 379: « *Want hooger — staat de wil van Hem, die de gansche menschheid tot het doel der volmaking opvoedt, die de geweldigen van den zetel bonst en de lagen verheft, zoodra de eersten in hunnen trotschen waan zich tegen zijn ondoorgrondelijk oogmerk met de menschheid verzetten, en de laatsten rijp geworden zijn tot het genot der eeuwige en heilige regten, die Hij diep in iedere menschelijke borst graveerde: want heerschen moet het regt en het licht in God's wereld, en het rijk der duisternis hoe langer hoe meer vervallen en eindelijk te niet gaan. Dit is de groote waarheid der Wereldgeschiedenis en daarom verheft zij den geest en sterkt zij het hart.* »

XVI.

Jam olim in patriâ receptae etiam fuerunt eae societates, quae hodie nomine veniunt innominatarum.

[illegible]

34. [illegible] Capital

Sismondi [illegible] 1, 36.

[illegible], [illegible] Capital

7. [illegible]

Si de elementis populi
numerus civium non pla

Recte se habere videtı
III. p. 13. Brux. 1832. « *Ce*
nets de la société, qui éq

Facimus cum HEEREN,
p. 14: « *Aus der Geschi*
anderes Resultat so klar
Religion stets einen höher
keit erhält, je weiter m
zurückgeht. »

Ubi Divinâ voluntat
ad majora aggredienda
impetus reprimi neq
egit PÖLITZ, *Algem. Ge*
ger — staat de wil van
tot het doel der volmakin
den zetel bonst en de la
hunnen trotschen waan
oogmerk met de menschl
geworden zijn tot het g
ten, die Hij diep in ie
want heerschen moet het
en het rijk der duistern
en eindelijk te niet gaar
Wereldgeschiedenis en a
sterkt zij het hart. »

Jam olim in patriâ
cietates, quae hodie nc

